

AB

75 1780

Februarius / Hornung

1 d Brigida	Krebs 12	♂ ☉ ♂ / feuch
2 e Lichtmeß	Krebs 27	weste
3 f Blasius	löw 12	♀ in ♄ Tag
4 g Veronica	löw 27	♂ S. V. wint
5 a Agatha	jungf. 12	schnewet
6 b Dorothea.	jungf. 27	♀ in ♃
7 C70 Richar	wag 11	♂ ♀ * feuch
8 d Apolonia.	wag 24	♂ ♀ * rau
9 e Helena	scorp. 8	♂ ♀ kal wint
10 f Son in X	scorp. 21	♂ ♀ ntblid
11 g Scolasti.	schütz 4	♂ S. 35. V.
12 a Euphrosi.	schütz 26	sch
13 b Castor	schütz 29	♂ Tag 193
14 C60 Val. XI	steinb. 11	♂ vnderm
15 d Faustus	stein. 23	♂ zu schne
16 e Juliana	wass. 4	♂ weit
17 f Cōstantia	wass. 16	
18 g Concordia	wass. 28	
19 a Eucharig.	wisch 10	Uew M
20 b Claudius	wisch 22	♂ 1. 34. V.
21 C. Herrn faß.	wider 4	Tag 11. A
22 d Peter stul.	wider 16	♂ ♀ ferch
23 e Sasnacht.	wider 29	♂ ♀ sch
24 f Matthias	stier 12	♂ wiff
25 g Gebhardt	stier 25	♂ sch
26 a Nestorius	zwill. 9	♀ in ♃ se
27 b Leander	zwill. 23	♂ 3. 43. V.

LIBELLVS

DE CIVILITATE MORVM PVERILIVM

um Des. Erasmi Roterodami, ad vsum
& vtilitatem Iuuentutis con-
scriptus.

PRAECEPTA HONESTATIS AC
decoris puerilis, Ioachimi Camerarij.

Eadem omnia, vnà cum Admonitorio Isocratis,
in succinctas Quaestiones digesta, Autore

Reinardo Hadamario.

QVIBVS NOVISSIME DOCTIS-
simum Ioannis Sulpicii Verulanii carmen, de
Ciuitate morum, libellum Erasmi breui-
ter quasi perstringens, adiecimus.

Quae praeterea huic inserta sunt Libello,
versa pagella indicabit.



M. D.

FRANCOF. AD MOENVM.



LXXIX.

Ex libris
Johannis Justi
Gravi
anno 1693

constat

2V11111
CATALOGVS EORVM QV AE
huic inserta sunt libello.

Vetus de moribus in mensa seruandis
Epitome.

Monitoria Pædagogica Des. Erasmi Ro-
terodami.

Ars notoria, Eiusdem.

De studio literarum, Petri Mosellani
Dialogus.

De disciplina, ac studijs puerorum, Epi-
stola Angeli Politiani.

Præcepta vitæ, seu de septem Græciæ Sa-
pientibus, Ludus Ioachimi Came-
rarij.

Symbola Ludouici Viuis.

Precationes aliquot pro pueris.

De Angelis puerorum custodibus Reue-
rendi viri D. Phil. Melant. Sapphi-
con.

Eiusdem ad pueros de studio literarum
παραινέσις.

Leges Scholasticę Iambicis trimetris per
Sebaldum Heyden conscriptæ.



DES. ERASMVVS RO-
 TERODAMVS GENEROSO CVM
 primis & optimæ spei puero, Henrico
 à Burgundia, Adolphi principis
 Veriani filio S.



I TER Maximum il-
 lum Paulum nō piguit,
 omnia fieri omnibus,
 quo prodesse posset om-
 nibus, quanto minus
 ego grauari debeo iu-
 uandæ iuuentutis amo-
 re subinde repuerasce-

Ab exem-
 plo à ma-
 iore,

re. itaq; quemadmodum pridem ad Maximiliani
 à Burgundia fratris tui, primam adolescentiam
 memet accommodaui, dum adolescentulorū for-
 mo linguam, ita nunc, Henrice suauissime, me ad
 tuam obtempero pueritiam, de puerorum mori-
 bus præcepturus : non quòd tu hisce præceptis
 magnoperè egeas, Primùm ab incunabulis inter
 aulicos educatus, mox nactus Ioannem Crucium,
 tam insignem formandæ rudis ætatis artificem:
 aut quòd omnia quæ præscribemus ad te pertine-
 ant, & è principibus & principatui natum: sed
 vt libentius hæc ediscant omnes pueri, quòd am-
 plissimæ fortune, summæq; spei puero dicata sint.
 Nec enim mediocre calcar addet vniuersæ publi,

Occasio,

Occupatis
 uncula,



DE CIVILITATE

si conspexerint heroum liberos à primis statim annis dicari studijs, & in eodem cum ipsis stadio currere.

Instituendi
pueros ratio non
simplex.

Munus autē formandi pueritiam, multis constat partibus, quarum sicuti prima, ita precipua est, vt tenellus animus imbibat pietatis semina: proxima, vt liberales disciplinas & amet & perdiscat: tertia est, vt ad vitæ officia instruatur: quarta est, vt à primis statim eui rudimentis ciuilitati morum assuescat. Hanc postremam nunc mihi propriè sumpsi. Nam de superioribus cum alij complures, tum nos quoque permulta conscripsimus.

DE CORPORIS ET MEMBRORUM DECORO.

Præceptores mali,

Occupatio. **Q**uanquam autem externum illud corporis decorū ab animo benè composito profiscitur, tamen incuria præceptorū nonnunquam fieri videmus, vt hanc interim gratiam in probis & eruditis hominibus desideremus. Nec inficior hęc esse crassissimam philosophia partem, sed ea, vt sunt hodie mortaliū iudicia, plurimum conducit, & ad conciliandam beneuolentiam, & ad præclaras illas animi dotes oculis hominū commendandas. Decet autem vt homo totus sit compositus animo, corpore, gestibus, ac vestitu: sed in
primis

primis pueros decet omnis modestia, & in his præcipuè nobiles. Pro nobilibus autem habendi omnes, qui studijs liberalibus excolunt animum. Pingant alijs in clypeis suis leones, aquilas, tauros, & leopardos: Plus habent veræ nobilitatis, qui pro insignibus suis tot possunt imagines depingere, quot perdidicerunt artes liberales.

Nobiles,

Vt ergo benè compositus pueri animus vndiq; reluceat (relucet autem potissimum in vultu) sint oculi placidi, verecundi, cõpositi: non torui, quod est truculentia: non improbi, quod est imprudentia: non vagi ac volubiles, quod est insania: non limi, quod est suspiciosorum, & insidias molientium: nec immodicè diducti, quod est stolidorum: nec subinde cõniuentibus genis ac palpebris, quod est inconstantium: nec stupentes, quod est attonitorum, id quod in Socrate notatum: nec nimium acres, quod est iracundia signum: non innuentes ac loquaces, quod est impudicitia signum, sed animum sedatum ac reuerenter amicum præ se ferentes. Nec enim temerè dictum est à priscis sapientibus, animi sedem esse in oculis. Picturæ quidem veteres nobis loquuntur, olim singularis cuiusdam modestia fuisse, semiclusis oculis obtu-
eri, quemadmodum apud Hispanos quosdam semipetos intueri blandum haberi videtur, & amicum. Ibidem ex picturis discimus, olim contractis strictisq; labijs esse, probitatis fuisse argumentum.

Oculos qd
deceat,Socrates
attonitus,

Picturæ.

DE CIVILITATE

Sed quod suapte natura decorum est, apud omnes decorum habebitur. Quanquam in his quoque decet interdum nos fieri polypos, & ad regionis morem nosmet attemperare. Iam sunt quidam oculorum habitus, quos alijs alios addit natura, qui non cadunt sub nostras praeceptiones, nisi quod incompositi gestus non raro vitiant, non solum oculorum, verumetiam totius corporis habitum ac formam. Contra compositi, quod natura decorum est, reddunt decentius: quod vitiosum est, si non tollunt, certe tegunt minuuntque. Indecorum est, clauso oculorum altero quenquam obtueri. Quid enim hoc aliud est, quam seipsum eluscare? Eum gestum thynnus ac fabris relinquamus.

Compositi
gestus.

Supercilio-
rum cura.

Frontem
quod deceat.

Nares quid
deceat.

Sint exporrecta supercilia: non adducta, quod est toruitatis: non sublata in altum, quod est arrogantiae: non in oculos depressa, quod est male cogitantium.

Frons item hilaris & explanata, mentem sibi bene consciam, & ingenium liberale praese ferens: non in rugas contracta, quod est senij: non mobilis, quod est erinaceorum: non torua, quod est taurorum.

A naribus absit mucoris purulentia, quod est sordidorum. Id quoque vitium Socrati philosopho datum est probro. Pileo aut veste emungi rusticanum, brachio cubitoque, salsamentariorum: nec multo civilius id manu fieri, si mox pituitam veste illinas.

*Illinas. Stropholis excipere narium recrementa decorum, idq³ paulisper auerso corpore, si qui ad-
 sint honoratiores. Si quid in solum eiectum est, emuncto duobus digitis naso, mox pede proterendum est. Indecorum est subinde cum sonitu spirare naribus: bilis id indicium est. Turpius etiam ducere ronchos, quod est furiosorum, si modo fiat usu. Nam spiritosis, qui laborant orthopnoea, danda est venia. Ridiculum naribus vocem emittere, nam id cornicinum est & elephantorum. Crispare nasum irrisorum est, & sannionum. Si alijs presentibus incidat sternutatio, ciuile est corpus auertere. Mox vbi se remisit impetus, signare os crucis imagine, deinde sublato pileo resalutariis qui vel salutarunt, vel salutare debuerant (nam sternutatio quemadmodum oscitatio, sensum aurium prorsus aufert) precari veniam, aut agere gratias. Alterum in sternutamento salutare, religiosum: & si plures adsint, natu maiores, qui salutant virum aut foeminam honorabilem, pueri est aperire caput. Porro vocis tinnitum studio intendere, aut data opera sternutamentum iterare, nimirum ad virium ostentationem, nugonum est. Reprimere sonitum, quem natura fert, ineptorum est, qui plus tribuunt ciuilitati quam saluti.*

Malas tingat natiuus & ingenuus pudor, non fucus aut asciticus color. Quanquam is pudor

A 4 sic

DE CIVILITATE

- Pudor quis esse debeat.** *sic temperandus est, ut nec vertetur in improbitatem, nec adducat δυσωπία, aut stuporem, & quartum, ut habet Prouerbum, insania gradum. Quibusdam enim hic affectus tam impotens insitus est, ut reddat deliranti similitum. Temperatur hoc malum, si puer inter maiores assuescat uiuere, & Comædijs agendis exerceatur.*
- Id est, immodicam verecundiam.**
- Buccas inflare.** *Inflare buccas fastus indicium est: easdem demittere, est animum despondentis: alterum Caini est, alterum Iudæ proditoris.*
- Os quomodo componendum.** *Os nec prematur, quod est metuentis alterius halitum haurire: nec hiet, quod est morionum, sed leuiter osculantibus se mutuo labris, coniunctum fit.*
- Minus etiam decorum est, subinde porrectis labijs, veluti popysmum facere: quanquam id magnatibus adultis per medianam turbam incedentibus condonandum est: illos enim decent omnia, nos puerum formamus.*
- Oscitatio.** *Si fors vrgeat oscitatio, nec datur auerti, aut cedere, strophio volaue tegatur os: mox imagine crucis obfignetur.*
- Rifus.** *Omni bus dictis aut factis arridere stultorum est: nullis arridere, stupidorum. Obscène dictis aut factis arridere, nequitia est. Cachinnus & immodicus ille totum corpus quatiens risus, quem ob id Græci στυγρὸς σίος appellant, nulli decorus est etati, nedum pueritiæ. Dedecet autem quod*
- quidam*

quidam ridentes hinnitum edunt. Indecorus & ille, qui oris rictum latè diducit, corrugatis buccis, ac nudatis dentibus, qui caninus est, & Sardonius dicitur. Sic autem vultus hilaritatem exprimat, ut nec oris habitum dehonestet, nec animum dissolutum arguat. Stultorum illæ voces sunt: Risu diffluo, dissilio, risu emorior: & si quæ res ad eò ridicula inciderit, ut nolentibus eiusmodi risum exprimat, mappa manûve tegenda facies. Solum aut nullam evidentem ob causam ridere, vel stultitiæ tribuitur, vel insaniam. Si quid tamen eiusmodi fuerit obortum, ciuilitatis erit alijs aperire risus causam: aut si non putes proferendam, commentitium aliquid adferre, ne quis se derideri suspicetur.

Superioribus dentibus labrum inferius premere inurbanum est, hic enim est minantis gestus, quemadmodum & inferioribus mordere superioribus. Quin & labrorum oras lingua circumuoluta subinde lambere, ineptum. Porrectioribus esse labris, & velut ad osculum compositis, olim apud Germanos fuisse blandum, indicant illorum picture.

Porrecta lingua deridere quenquam, scurrile est.

Auersus expuito, ne quem conspuas aspergās. Si quid purulentius in terram reiectum erit, pede (ut dixi) proteratur, ne cui nauseam moueat.

DE CIVILITATE

at. Id si non licet, linteolo sputum excipito, Resorbere salivam inurbanum est, quemadmodum & illud quod quosdam videmus, non ex necessitate, sed ex usu ad tertium quodq; verbum expuere.

Tussis.

Quidam indecorè subtrussunt identidem inter loquendum, idq; non ex necessitate, sed ex more, is gestus est mentientium, & inter dicendum quid dicant comminiscantium.

Eructatio.

Alij minus etiam decorè ad tertium quodq; verbum eructant, quæ res si à teneris annis abierit in consuetudinem, hæret etiam in grandiorem ætatem.

Vomitus.

Idem sentiendum de screatu, quibus nominibus à seruo notatur Terentianus Clitipho. Si tussis vrgeat, caue ne cui in os tussias, & absit ineptia clarius tussendi, quàm natura postulet. Vomiturus secede, nam vomere turpe non est, sed ingluvie vomitum accersisse deforme est.

**Dentium
cura.
Lotio.**

Dentium immundities curanda est, verùm eos pulvisculo candidare, puellarum est, sale aut alumine defricare, gingivæ perniciosum. Idem lotio facere, Iberorum est. Si quid in hæsit dentibus, non cultello, non vnguibus, canum feliùmve more, non mantili eximendum est, sed vel lentisci cuspi- de, vel ossiculis è gallorum aut gallinarum tibijs detractis. Os manè pura aqua proluere, & urbanum est, & salubre: subinde facere ineptum. De lingua usu suo dicemus loco.

Rustica-

Rusticanum est impexo esse capite, ad sit mundici- Quæ circa
 dices, non nitor puellaris. Absint sordes lendium caput
 & vermiculorum. Subinde scabere caput apud
 alios parum decet: Quemadmodum vnguibus re-
 liquum fricare corpus sordidum est, præsertim si
 fiat vsu, non necessitate. Coma nec frontem te-
 gat, nec humeris inuolitet. Subinde concusso ca-
 pite discutere capillitium, lasciuientium est equo-
 rum. Casariam à fronte in verticem laua retor-
 quere, parum elegans est, manu discriminare mo-
 destius.

Inflectere ceruicem, & adducere scapulas, pi- Ceruix
 gritiam arguit: resupinare corpus, fastus indicium
 est: molliter erectum decet.

Ceruix nec in lauum, nec in dextrum vergat,
 hypocriticum enim, nisi colloquium aut aliud si-
 mile postulet.

Humeros oportet æquo libramine temperare, Humeri.
 non in morem antennarum alterum tollere, alte-
 rum deprimere. Nam huiusmodi gestus in pueris Ab incom-
 neglecti, vertuntur in naturam, & corporis ha- modo con-
 bitum præter naturam deformant. Itaq; qui præ sequenti
 desidia collegerunt consuetudinem inflectendi
 corpus, sibi gibbum conciliant, quem natura non
 dederat, & qui deflexum in latus caput habere
 consueuerunt, in eum habitum indurescunt, vt
 adulti frustra mutare nitantur. Siquidem te- Probat à
 nera corpuscula plantulis similia sunt, que simili
 in

DE CIVILITATE

in quamcunq; speciem furca funiculove deflexe-
ris, ita crescunt & indurescunt.

Brachia. Vtrunq; brachium in tergum detorquere, si-
mul & pigritia speciem habet & furis: neq; mul-
tò decentius est, altera manu in ilia iniecta a stare
federéve: quod tamen quibusdam elegans ac mi-
litare videtur. At non statim honestum est quod
stultis placuit, sed quod naturæ & rationi con-
sentaneum est. Reliqua dicentur, quum ad collo-
quium, & conuiuium ventum erit.

**Pudor scr-
uandus.** Membra quibus natura pudorem addidit, re-
tegere citra necessitatem, procul abesse debet ab
indole liberali. Quin vbi necessitas huc cogit, ta-
men id quoq; decente verecundia faciendum est,
etiamsi nemo testis adsit. Nunquam enim non ad-
sunt Angeli, quibus in pueris gratissimus est pud-
icitie comes custosq; pudor. Quorum autem con-
spectum oculis subducere pudicum est, ea multò
A minore, minus oportet alieno præbere contactui.

Lotium. Lotium remorari valetudini perniciosum: se-
cretò reddere, verecundum. Sunt qui præcipiant
vt puer cõpressis natibus ventris flatum retineat.
**Flatus ven-
tris.** At qui ciuile non est, dum vrbanus videri studeat,
morbum accersere. Si licet secedere, solus id faciat:
Sin minus, iuxta vetustissimũ Prouerbiũ, Tussi
crepitum dissimulet. Alioqui cur non eadem opera
præcipiunt, ne aluum deiciant, quum remorari
flatum periculosius sit, quàm aluum stringere.

Diductis

Diductis genibus sedere, aut diuaticatis tibijs Sedendum
distortisve stare, Thraconum est. Sediti coëant quomodo
genua, stanti pedes, aut certè modicè diducantur.
Quidam hoc gestu sedent, vt alteram tibiam al-
tero genu suspendant: nonnulli stant decussatim
compositis tibijs, quorum alterum est anxiorum,
alterum ineptorum. Dextro pede in laeuum femur
iniecto sedere, priscorum Regum mos est, sed im-
probatus.

Apud Italos quidam honoris gratia pedem al-
terum altero premunt, vniq³ propemodum insi-
stunt tibia, ciconiarum ritu, quod an pueros de-
ceat, nescio. Itidē in flectendis genibus aliud apud Genu fle-
alios decet, dedecetq³. Quidam vtrunq³ pariter etendi ra-
inflectunt, idq³ rursus alij recto corpore, alij non- tio.
nihil incuruato. Sunt qui hoc ceu muliebri rati,
similiter erecto corpore, primùm dextrum incur-
uant genu, mox sinistrum, quod apud Britannos
in adolescentibus laudi datur. Galli modulato
corporis circumactu dextrū duntaxat inflectunt.
in his in quibus varietas nihil habet cum honesto
pugnans, liberum erit vel vernaculis vti moribus,
vel alienis obsequundare, quando sunt quos ma-
gis capiant peregrina.

Incessus nec fractus sit, nec præceps: quorum Incessus.
alterum est mollium, alterum furiosorum: nec va-
cillans, quod à Fabio improbatur. Nam ineptam
in incessu subclaudicationem Suiceris militibus
relinqua-

DE CIVILITATE

relinquamus, & ijs qui magnum ornamentum ducunt, in pileo gestare plumas. Tamen si vidimus episcopos hoc gestu sibi placere. Sedentem pedibus ludere stultorum est, quemadmodum & manibus gesticulari, parum integræ mentis indicium est.

DE CVLTV.

Transitio à
diuersis.
Vestis quæ
deceat, aut
minus,

Id est, legi
& regioni.
Id est, tem-
pori,

IN summa dictum est de corpore, nunc de cultu paucis, eò quòd vestis quodammodo corporis corpus est, & ex hac quoq; licet habitum animi conijcere. Quanquam hic certus præscribi modus non potest, eò quòd non omnium par est vel fortuna, vel dignitas, nec apud omnes nationes eadem sunt decora, aut indecora. Postremò nec omnibus seculis eadem placent displicentve. Vnde quemadmodum in alijs multis, ita hic quoq; non nihil tribuendum est, iuxta Prouerbiū, $\nu\omicron\mu\epsilon\alpha$ & $\chi\omega\rho\alpha$, atq; etiam $\kappa\alpha\rho\tau\omega$, cui seruire iubent sapientes. Est tamen in hisce varietatibus, quod per se sit honestum aut secus, velut illa quæ nullum habent vsum, cui paratur vestis. Prolixas trahere caudas, in fœminis ridetur, in viris improbatur: an Cardinales & Episcopos deceat, alijs æstimandum relinquo. Multitia nunquam non probro data sunt tum viris tum fœminis, quandoquidem hic est alter vestis vsus, vt ea tegat quæ impudicè ostenduntur oculis hominum. Olim habebatur parum virile discinctum esse, nunc idem nemini

vilio

vitio vertitur, quòd indusijs, subuculis, & caligis
 repertis tegantur pudenda, etiamsi disfluat tuni-
 ca. Alioqui vestis breuior, quàm vt inclinanti te-
 gat partes, quibus debetur honos, nusquam non
 inhonesta est. Dissecare vestem amentium est, pi-
 cturatis ac versicoloribus vti, morionum est ac
 simiarum. Ergo pro modo facultatum ac dignita-
 tis, proq; regione & more adsit cultui mundities,
 nec sordibus notabilis, nec luxum aut lasciuiam,
 aut fastum præ se ferens. Neglectior cultus decet
 adolescentes, sed citra immunditiam. Indecorè
 quidam interularum ac tunicarum oras aspergi-
 ne lotij pingunt, aut sinum brachialiaq; indecoro
 tectorio incrustant, non gypso, sed narium & oris
 pituita. Sunt quibus vestis in alterum latus deflu-
 it, alijs in tergum ad renes vsq;: nec desunt quibus
 hoc videatur elegans. Vt totum corporis habitum
 mundum & compositum esse decet, ita decet illum
 corpori congruere. Si quid elegantioris cultus de-
 dere parentes, ne te ipsum reflexis oculis contem-
 plere, nec gaudio gestias, alijsq; ostentes, nam al-
 terum simiarum, alterum pauonum: mirentur
 alijs, tu te benè cultum esse nescias. Quò maior est
 fortuna, hòc est amabilior modestia. Tenuioribus
 in conditionis solatium concedendum est, vt mo-
 deratè sibi placeant: At diues ostentans splendo-
 rem amictus, alijs suam exprobrat miseriam, si-
 biq; constat inuidiam.

DE CIVILITATE
DE MORIBVS IN TEMPLO.

Templum.

Quoties fores templi prateris, nudato caput, ac modicè flexis genibus, ad sacra verso vultu, Christum Diuosq; salutato. Idem & aliàs faciendū, siue in vrbe, siue in agris, quoties occurrit imago crucis. Per eadem sacram ne transferis, nisi simili religione saltem breui precatiuncula Christum appelles, idq; reiecto capite, & utroq; genu flexo. Cū sacra peraguntur, totum corporis habitum ad religionem decet componere. Cogita illic presentem Christum cum innumeris angelorum milibus. Et si qui regem hominem alloquuturus circumstante procerum corona, nec caput aperiat, nec genu flectat, non iam pro rustico, sed pro insano haberetur ab omnibus: quale est, illic opertum habere caput, erecta genua, vbi adest rex ille regum immortalis, & immortalitatis largitor, vbi venerabundi circumstant aetherei spiritus? Nec refert, si eos non vides, vident illi te, nec minus certum est illos adesse, quàm si videres eos oculis corporeis. Certius enim cernunt oculi fidei, quàm oculi carnis. Indecentius etiam est, quòd quidam in templis obambulant, & Peripatericos agunt. Atqui deambulationibus porticus & fora conueniunt, non templa, quæ sacris concionibus, mysterijs, ac deprecationi dicata sunt. Ad concionantem spectent oculi, huc attentæ sint aures, huc inhiet animus,
omni

MORVM PVERILIVM. 9

omni cum reuerentia, quasi non hominem audias, sed Deum, per os hominis tibi loquentem. Quum recitatur Euangelium, assurge, & si potes auscultata religiosè. Quum in Symbolo canitur, Et homo factus est, in genua procumbe, vel hoc pacto te submitte in illius honorem, qui semet pro tua salute, quum esset supra omnes cœlos, demisit in terras, quum esset Deus, dignatus est homo fieri, ut te faceret Deum. Dum peraguntur mysteria, toto corpore ad religionem composito ad altare versa sit facies, ad Christum animus. Altero genu terram contingere, erecto altero, cui leuus innitatur cubitus, gestus est impiorum militum, qui Domino Iesu illudentes dicebant: Aue rex Iudæorum. Tu demitte utrumq; reliquo etiam corpore non nihil inflexo ad venerationem: reliquo tempore aut legatur aliquid è libello, siue preclarum, siue doctrinæ salutaris, aut mens cœlestis quippiam meditetur. Eo tempore nugas obgannire ad aurem vicini, eorum est, qui non credunt illic adesse Christum. Huc illuc circumferre vagos oculos, mentium est. Existima te frustra templum adisse, nisi inde melior discesseris, puriorq;.

DE CONVIVIIS.

IN conuiujs adsit hilaritas, absit petulantia. non nisi lotus accumbe: sed antè præfectis vnguibus, ne quid in his hæreat sordium, dicarisq;.

B ΣΥΠΟ-

DE CIVILITATE

Id est, sordi *ῥυποκόονδ'υλθ*, ac prius clam reddito lotio,
 dos habens *aut si res ita postulet, exonerata etiam aluo: &*
 articulos. *si forte strictius cinctum esse contingat, aliquan-*

*tulum relaxare vincula consultum est, quod in
 accubitu parum decorè fiat. Abstergens manus
 simul abijce quicquid animo agre est. Nam in
 conuiuio nec tristem esse decet, nec contristari
 quenquam. Iussus consecrare mensam, vultum*

Mensæ con *ac manus ad religionem componito, spectans aut*
secranda *conuiuij primarium, aut si fors adest, imaginem*
ratio, *Christi: Ad nomen Iesu matrisq; virginis, vtrumq;
 flectens genu. Hoc moneris si cui alteri delegatum
 fuerit, pari religione tum auscultato, tum respon-
 deto. Sedis honorem alteri libenter cede, & ad ho-
 noratiorem locum inuitatus, comiter excusa: si
 tamen id crebro serioq; iubeat aliquis autoritate
 præditus, verecundè obtempera, ne videare pro ci-
 uili præfractus.*

Mensæ quo *Accumbens vtranque manum super mensam*
modo ad- *habe, non coniunctim, nec in quadra. Quidam*
fidendum. *enim indecorè vel vnâ, vel ambas habent in gre-
 mio. Cubito vel vtroq; vel altero inniti mensæ,
 senio morbôve lassis condonatur: idem in delicatis
 quibusdam aulicis, qui se decere putant quicquid
 agunt, dissimulandum est, non imitandum: In-
 zerea cauendum, ne proximè accumbenti, cubito,
 neu ex aduerso accumbenti, pedibus sis molestus.
 In sella vacillare, & nunc huic nunc alteri nati vi-
 cissim*

cissim insidere, speciem habet subinde ventris flatum emittentis, aut emittere conantis. Corpus igitur aequo libramine sit erectum. Mantile si datur, aut humero sinistro, aut brachio laevo imposito. Cum honoratioribus accubiturus, capite pexo, pileum relinquo, nisi vel regionis mos diuersum suadeat, vel alicuius autoritas precipiat, cui non parere sit indecorum. Apud quasdam nationes mos est, ut pueri stantes ad maiorum mensam capiant cibum extremo loco, reiecto capite: Ibi ne puer accedat nisi iussus, ne hereat vsq; ad conuiuij finem, sed sumpto quod satis est, sublata quadra sua flexo poplite salutet conuiuas, precipue qui inter conuiuas est caeteris honoratior. A dextris sic poculum & cultellus escarius, rite purgatus, ad leuam panis. Panem vna vola pressum, summis digitis refringere, quorundam aulicorum delicias esse finito: tu cultello seca decenter, non vndiq; resicans: delicatiorum hoc est. Panem veteres in omnibus conuiuijs ceu rem sacram religiosè tractabant, vnde nunc quoque mos relictus est, eum fortè delapsum in humum exosculari. Conuiuium statim à poculis auspicari potorum est, qui bibunt, non quòd sitiant, sed quòd soleant. Nec ea res solum moribus est inhonesta, verum etiam officit corporis valetudini. Nec statim post sumptam ex iure offam, bibendum, multò minus post lactis esum. Puerò saepius quàm bis, aut ad summum ter

DE CIVILITATE

in conuiuio bibere, nec decorum est, nec salubre. Semel bibat aliquandiu pastus de secundo missu, praesertim sicco: deinde sub conuiuij finem, idq; modicè sorbendo, non ingurgitando, nec equorum sonitu. Tum vinum, tum cereuisia, nihilominus quàm vinum inebrians, vt puerorum valetudinem ledit, ita mores dedecorat. Aqua feruida conuenit etati, aut si id non patitur siue regionis qualitas, siue alia quæpiam causa, tenui cereuisia vtitor, aut vino nec ardenti, & aqua diluto. Alio- qui mero gaudentes hæc sequuntur præmia: den- tes rubiginosi, genæ defluentes, oculi lusciosi, men- tis stupor, breuiter senium ante senectam. Ante- quam bibas præmande cibum, nec labra admoueas poculo, nisi prius mantili aut linteolo abstersa, præ- sertim si quis suum poculum tibi porrigit, aut vbi de communi bibitur poculo. Inter bibendum in- tortis oculis alios intrueri, illiberale est, quemad- modum & ciconiarum exemplo ceruicem in ter- gum reflectere, ne quid hereat in imo cyatho, pa- rum est liberale. Salut antem poculo, resalutet co- miter, & admotis labris cyatho, paululum libans bibere se simulet: hoc ciuili nugoni satis erit. Qui si rusticius vrgeat, polliceatur se tum responsurum, quum adoleuerit.

In mensa que deceat in epulas conijciant, id luporum est, aut eorum qui de chytropode carnes nondum immolatas deuorant,

uorant, iuxta prouerbiū. Primus cibum ap-
 positum ne attingito, non tantum ob id quod ar-
 guit audum, sed quod interdum cum periculo
 coniunctum est, dum qui feruidum inexplora-
 tum recipit in os, aut expuere cogitur, aut si de-
 glutiat, adurere gulam, utroq; ridiculus, æquè ac-
 miser. Aliquantisper morandum, ut puer assue-
 scat affectui temperare. Quo consilio Socrates ne
 senex quidem vnquam de primo cratere bibere
 sustinuit. Si cum maioribus accumbit puer, po-
 stemus, nec id nisi inuitatus, manum admoueat
 patinæ. Digitos in iusculenta immergere agre-
 stium est, sed cultello fuscinaue tollat quod vult:
 nec id ex toto eligat disco, quod solent liguritores,
 sed quod fortè ante ipsum iacet, sumat: quod
 vel ex Homero discere licet, apud quem creber est
 hic versiculus: Οἶδ' ἐπ' ὀνείσθι ἔτοιμα προ-
 κείμωα χεῖρας ἰαλλοῦ. Id quod si fuerit in-
 signiter elegans, alteri cedat, & quod proximum
 est accipiat. Ut igitur intemperantis est in omnes
 patinæ plagas manum immittere, ita parum de-
 corum patinam inuertere, quò veniant ad te lau-
 tiora. Si quis alius cibum porrexerit elegantio-
 rem, præfatus excusatiunculam recipiat, sed re-
 secta sibi portiuncula, reliquum offerat ei qui
 porrexerat, aut proximè assidenti communicet.
 Quod digitis excipi non potest, quadra excipi-
 endum est. Si quis è placenta vel artocrea por-

Id est, illi ve-
 rò ad cibū
 apparatus
 & proposi-
 tū, manus
 admoue-
 bant,

DE CIVILITATE

rexit aliquid, cocleari, aut quadra excipe, aut cocleari porrectum accipe, & inuerso in quadram cibo, cocleare reddito. Si liquidius est, quod datur gustandum, sumito, & cocleare reddito, sed ad mantile extersum. Digitos vnctos vel ore pralin-gere, vel ad tunicam extergere, pariter inciuile est: id mappa potius aut mantili faciendum. Integros bolos subito deglutire, ciconiarum est, ac balatronum. Si quid ab alio fuerit resectum, inciuile est manum quadramve porrigere, priusquam ille structor offerat, ne videare preripere, quod alteri paratum erat. Quod porrigitur, aut tribus digitis, aut porrecta quadra excipiendum. Si, quod offertur, non congruit tuo stomacho, caue ne dixeris illud Comici Clitiphonis: Non possum pater: sed blandè agito gratias. Est enim hoc vrbannissimum recusandi genus. Si perstat inuitator, verecundè dicito: aut non conuenire tibi, aut te nihil amplius requirere.

Secundi ratio.

Discenda est à primis statim annis secandi ratio, non superstitiosa, quod quidam faciunt, sed ciuilis & commoda. Aliter enim inciditur armus, aliter coxa, aliter ceruix, aliter cratis: aliter capus, aliter phasianus, aliter perdix, aliter anas: qua de re sigillatim precipere vt prolixum sit, ita nec operaprecium. Illud in vniuersum tradi potest Apitiorum esse, omni ex parte quicquid palato blanditur, abradere. Abs te semesa alteri porrigere

gere parum honesti moris est. Panem prerosum iterum in ius immergere, rusticanum est. Sicut & cibum mansum faucibus eximere, & in quadram reponere inelegans est. Nam si quid fortè sumptum est quod deglutiri non expedit, clam auersus aliquò proijcias. Cibum ambesum aut ossa semel in quadram seposita repetere vitio datur. Ossa, aut si quid simile reliquum est, ne sub mensam abieceris, pavimentum conspurcans, nec in mensæ stragulam proijce, nec in patinam repones, sed in quadra angulum sepone, aut in discum, qui apud nonnullos reliquijs excipiendis adponitur. Canibus alienis de mensa porrigere cibum, ineptia tribuitur, ineptius est illos in conuiuio contretare. Oui putamen digitorum vnguibus aut pollice repurgare, ridiculum est: Idem inserta lingua facere, magis etiam ridiculum, cultello id fit decentius: Ossa dentibus arrodere caninum est, cultello purgare ciuile. Tres digiti salino impressi, vulgari ioco dicuntur agrestium insignia. Cultello sumendum est salis quantum satis est. Si longius abest salinum, porrecta quadra petendum est. Quadram aut patinam, aut aliud cui saccarum aut suaue quiddam adhaesit, lingua lambere, felium est, non hominum. Carnem prius minutim in quadra dissecet, mox addito pane simul aliquandiu mandat, priusquam traiciat in stomachum. Id non solum ad bonos

mores, verumetiam ad bonam valetudinem per-
 tinet. Quidam deuorant verius quam edunt, non
 aliter quam (vt aiunt) abducendi in carcerem.
 Latronum est ea tubercinatio. Quidam tantum
 simul in os ingerunt, vt vtrinq; ceu folles tumeant
 buccæ: alij mandendo diductu labiorum sonitum
 edunt, parcorum in morem. Nonnulli vorandi
 studio spirant etiam naribus, quasi profocandi,
 Ore pleno vel bibere vel loqui, nec honestum, nec
 tutum: Vicissitudo fabularum interuallis diri-
 mat perpetuum esum. Quidam citra intermissio-
 nem edunt bibuntve, non quod esuriant sitiãntve,
 sed quod alioqui gestus moderari non possunt, nisi
 aut scabant caput, aut scalpant dentes, aut
 gesticulentur manibus, aut ludant cultello, aut
 tussiant, aut screent, aut expuant. Ea res à rustico
 pudore profecta, nonnullam insanie speciem ha-
 bet. Auscultandis aliarum sermonibus fallendum
 est hoc rædij, si non datur oportunitas loquendi.
 Inciũile est cogitandum in mensa accumbere.
 Quosdam autem videas adeo stupentes, vt nec au-
 diant quid ab alijs dicatur, nec se comedere sen-
 tiant: & si nominatim appelles, velut è somno
 excitari videantur, adeo totus animus est in pa-
 tinis. Inurbaniũ est oculis circumactis obserua-
 re quid quisq; comedat, nec decet in quenquam
 conuiuarum diutius intentos habere oculos, inur-
 banius etiam transuersim hircus intueri, qui in
 eodem

eodem accumbunt latere, inurbanissimum retorto
 in tergum capite contemplari quid rerum geratur
 in altera mensa. Effutire si quid liberius inter
 pocula dictum factumve sit, nulli decorum est,
 nedum puero. Puer cum natu maioribus accum-
 bens nunquam loquatur, nisi aut cogat necessitas,
 aut abs quopiam inuitetur. Lepidè dictis modicè
 arrideat, obscœnè dictis ne quando arrideat, sed
 nec frontem contrahat, si præcellit dignitate qui
 dixit, sed ita vultus habitum temperet, vt aut non
 audisse, aut certè non intellexisse videatur. Mu-
 lieres ornat silentium, sed magis pueritiam. Qui
 dum respondent priusquàm orationem finierit qui
 compellat, ita sæpè fit, vt aliena respondens, sit
 risui, detq; veteri locum prouerbio, ἀλλὰ οὐκ ἔπει-
 τος. Docet hoc rex ille sapientissimus, stultitia
 tribuens respondere, priusquàm audias, non au-
 dit autem qui non intellexit. Si minus intellexit
 percontantem, paulisper obticescat, donec ille quod
 dixit spontè repetat. Id si non facit, sed responsum
 vrget, blandè veniam præfatus puer, oret vt quod
 dixerat dicat denno. Intellecta percontatione pau-
 lulum interponat moræ, deinde tum paucis respon-
 deat, tum iucundè.

In conuiuio nihil effatiendum, quod obfuscet
 hilaritatem. Absentium famam ibi ledere piacu-
 lum est. Nec cuiquam illic suus refricandus est do-
 lor. Vituperare quod appositum est, inciuilitati

B S datur,

ib. O. s. b. l.
 m. r. o. m. e. m.
 c. o. m. p. o. r. o.
 Id est, ligo-
 nes petebā.

m. b. n. s. b. l.
 s. u. n. d. e. m.

DE CIVILITATE

datur, & ingratum est conuiuatori.

Si de tuo præbetur conuiuium, vt excusare temeritatem apparatus vrbani, ita laudare aut commemorare quanti singula constiterint, in suaue profectò condimentum est accumbentibus. Deniq; si quid à quoquam in conuiuio sit rusticius per imperitiam, ciuilitèr dissimulandum potius quàm irridendum. Decet computationem libertas. Turpe est sub dium, vt ait Flaccus, rapere, si quid cui super cœnam excidit incogitantius. Quod ibi fit dicitur ve, vino inscribendum, ne audias, *μισῶ μὲν ἀμύονα συμποτόν*. Si conuiuium erit quam pro puerili etate prolixius, & ad luxum tendere videbitur, simulatq; senseris nature factum satis, aut clam, aut veniam precatus, te subducito.

Id est, Odi memorem compotos rem.

Qui puerilem etatem adigunt ad inediam, mea quidem sententia insaniunt, neq; multò minus ij qui pueros immodica cibo diffarciunt. Nam vt illud debilitat teneri corpusculi viriculas, ita hoc animi vim obruit.

Edendum quatenus.

Moderatio tamen statim est discenda. Citra plenam saturitatem reficiendum est puerile corpus, magisq; crebrò quàm copiosè. Quidam se saturos nesciunt, nisi dum ita distentus est ventriculus, vt in periculum veniant ne dirumpantur, aut ne per vomitum reiiciant onus. Oderunt liberos, qui illos etiamnum teneros cœnis in multam noctem

noctem productis, perpetuò sinunt assidere.

Ergo si surgendum erit à prolixiore conuiuio, quadram tuam cum reliquis tollito, ac salutato qui videtur inter conuiuas honoratissimus, mox & alijs simul, discedito, sed mox rediturus, ne videare lusus aut alterius parum honestæ rei gratia re subduxisse. Reuersus ministrato si quid opus erit, aut reuerenter mensæ assistito, si quis quid iubeat expectans. Si quid apponis aut submoues, vide ne cui vestem iure perfundas. Candelam emuncturus, prius illam è mensa tollito, quodq; emunctum est, protinus aut harena immergito, aut solea proterito, ne quid ingrati nidoris offendat nares. Si quid porrigis infundisve, læua id facias caueto. Iussus agere gratias, compone gestus, paratum te significans donec silentibus conuiuis dicendi tempus adfuerit. Interim vultus ad conuiuio presidens reuerenter versus sit, & constanter.

DE CONGRESSIBVS.

SI quis occurrerit in via, vel senio venerandus, vel religione reuerendus, vel dignitate grauis, vel alioqui dignus honore, meminerit puer de via decedere, reuerenter aperire caput, non nihil etiam flexis poplitibus. Nec verò sic cogitet: Quid mihi cum ignoto, quid cum nihil unquam benè de me merito? Non hic honos tribui-

tur

DE CIVILITATE

Magistra-
tus omnis
honoran-
dus.

Loquendi
ratio.

Oculi quo
spectent.

tur homini, non meritis, sed Deo. Sic Deus iussit per Salomonem, qui iussit assurgere cano. Sic per Paulum, qui presbyteris duplicatum honorem praecipit exhibere. In summa, omnibus praestare honorem, quibus debetur honos, complectens etiam Ethnicum magistratum: si & Turca (quod absit) nobis imperet, peccaturi simus, si honorem magistratui debitum illi negemus. De parentibus interim nihil dico, quibus secundum Deum primus debetur honos. Nec minus praceptoribus, qui mentes hominum quodammodo dum formant, generant. Nam & inter aequales illud Pauli locum habere debet: Honore inuicem praevinentes. Qui parem aut inferiorem honore praevinit, non ideo fit ipse minor, sed civilior, & ob id honoratior.

Cum maioribus reuerenter loquendum, & paucis cum equalibus amanter & comiter. Inter loquendum pileum laeva teneat, dextra leuiter admota vmbilico: aut quod decentius habetur, pileum vtraque manu iuncta suspensum, pollicibus eminentibus, tegat pubis locum. Librum aut golerum sub axilla tenere rusticius habetur. Pudor adsit, sed qui decoret, non qui reddat attonitum. Oculi spectent eum cui loqueris, sed placidi simplicesque, nihil procax improbumve praeseferentes. Oculos in terram deicere, quod faciunt catoblepa, male conscientia suspicionem

nem habet. Transuersim tueri, videtur auersan-
ris.

Vultum huc illuc voluere, leuitatis argumen-
tum est. Indecorum est vultum in varios mutare
habitus, vt nunc corrugetur nasus, nunc contra-
hatur frons, nunc attollatur supercilium, nunc
distorqueantur labra, nunc diducatur os, nunc
prematuro, hæc animum arguunt Prothei similem.
Indecorū & illud: concusso capite iactare comam,
sine causa tussire, screare, quemadmodum & ma-
nu scabere caput, scalpere aureis, emungere na-
sum, demulcere faciem, quod est veluti pudorem
abstergentis, suffricare occipitium, humeros ad-
ducere, quod in nonnullis videmus Italis. Rota-
to capite negare, aut reducto accersere, & ne per-
sequar omnia, gestibus aut nutibus loqui, vt virum Gestibus
interdum deceat, puerum minus decet. Illiberale loqui.
est iactare brachia, gesticulari digitis, vacillare
pedibus breuiter non lingua, sed toto corpore lo-
qui, quod turturum esse fertur, aut motacillarum,
nec multum abhorrens à picarum moribus. Vox Vox,
sit mollis ac sedata, non clamosa, quod est agri-
colarum, nec tam pressa, vt ad aureis eius cui lo-
queris non perueniat. Sermo sit non præceps, & Sermo,
mentem præcurrens, sed lentus & explanatus.
Hoc etiam naturalem battarismum, aut hæsitantiam,
si non totum tollit, certè magna ex parte
mitigat, quum præcipitatus sermo multis vitium
conciliet,

DE CIVILITATE

conciliet, quod non dederat natura.

**Titulus ho-
norificus.**

*Inter colloquendum subinde titulum honorifi-
cum eius, quem appellas, repetere, ciuilitatis est.
Patris ac matris vocabulo nihil honorificentius,
nihil dulcius: Fratris sororisve nomine nihil ama-
bilius. Si te fugiunt tituli peculiare, omnes erudi-
ti sint tibi preceptores obseruandi: omnes sacer-
dotes ac monachi, reuerendi patres: omnes aqua-
les, fratres & amici: breuiter omnes ignoti, domi-
ni: ignota, domina.*

Iusiurandū

*Ex ore pueri turpiter auditur iusiurandum,
siue iocus sit, siue res seria. Quid enim turpius eo
more, quo apud nationes quasdam ad tertium
quodque verbum deierant etiam puellæ, per pa-
nem, per vinum, per candelam, per quid non? Ob-
scenè dictis nec linguam præbeat ingenuus puer,
nec aures accommodet. Deniq, quicquid inhonestè
nudatur oculis hominum, indecenter ingeritur
auribus. Si res exigat, vt aliquod membrum pu-
dendum nominetur, circumitione verecunda rem
notet. Rursus si quid inciderit, quod auditori nau-
seam ciere possit, veluti si quis narret vomitum,
aut latrinam, aut oletum, præfetur honorem au-
ribus. Si quid resellendum erit, caue dicat: haud
vera prædicas, præsertim si loquatur grandior na-
zu, sed præfatus pacem, dicat: mihi secus narratum
est à tali.*

*Puer ingenuus cum nemine contentionem su-
scipiat.*

scipiat, ne cum aequalibus quidem, sed cedat potius victoriam, si res ad iurgium veniat, aut ad arbitrum prouocet. Ne cui se praeferat, ne sua iactet, ne cuiusquam institutum reprehendat, aut illius nationis ingenium morésve sugillet, ne quid arcani creditum euulget, ne novos spargat rumores, ne cuius obtrechet fama, ne cui probro det vitium natura insitum, id enim non solum contumeliosum est & inhumanum, sed etiam stultum, veluti si quis luscum appellet luscum, aut loripedem, loripedem: aut strabum, strabum: aut nothum, nothum. His rationibus fiet, vt sine inuidia laudem inueniat, & amicos paret. Interpellare loquentem antequam fabulam absoluerit, inurbanum est.

Contentio
nes vitandę

Cum nemine similitatem suscipiat, comitatem Arcanum exhibeat omnibus, perpaucos tamen ad interiora celerem familiaritatem recipiat, eosq; cum delectu. Ne cui tamen credat, quod tacitum velit. Ridiculum enim est ab alio silentij fidem expectare, quam ipse tibi non praestes. Nullus autem est linguae adeo continentis, vt non habeat aliquem, in quem transfundat arcanum. Tutissimum autem est nihil admittere, cuius te pudeat si proferatur. Alienarum rerum ne fueris curiosus, & si quid forte conspexeris audierisve, fac, quod scis nescias. Literas tibi non oblatas limis intueri parum ciuile est. Si fors te praesente scrinium suum aperit aliquis,

quis,

DE CIVILITATE

quis, subducito te. Nam inurbanum est inspicere, contrectare aliquid inurbanius. Item si senseris inter aliquos secretius oriri colloquium, submoue te dissimulanter, & in eiusmodi colloquium ne temet ingeras, non accitus.

DE LVSU.

IN lusibus liberalibus adfit alacritas, absit per-
uicacia, rixarum parens, absit dolus ac men-
daciū. Nam ab his rudimentis proficitur ad
maiores iniurias. Pulchrius vincit qui cedit con-
tentioni, quàm qui palmam obtinet. Arbitris ne
reclamita. Si cum imperitioribus certamen est,
possisq; semper vincere, nonnunquam te vinci pa-
tere, quo ludus sit alacrior. Si cum inferioribus lu-
ditur, ibi te superiorem esse nescias. Animi causa
ludendum est, non lucri gratia. Aiunt puerorum
indolem nusquam magis apparere, quàm in lusu.
Si cui ad dolos, ad mendaciū, ad rixam, ad iram,
ad violentiam, ad arrogantiam, propensius inge-
nium, hic emicat natura vitium, proinde puer in-
genius non minus in ludo quàm in conuiuio sui
similis sit.

DE CVBICVLO.

IN cubiculo laudatur silentium & verecundia.
Certè clamor & garrulitas indecora est, multò
magis in lecto. Siue cum exuis te, siue cum sur-
gis, memor verecundia, caue ne quid nudes alio-
rum oculis, quod mos & natura tectum esse vo-
luit.

luit. Si cum sodali lectum habes communē, quietus iaceto, neq; corporis iactatione vel teipsum nudes, vel sodali detractis pallijs sis molestus. Priusquam reclines corpus in cervical, frontem & pectus signa crucis imagine, breui precatiuncula temet Christo commendans. Idem facito cum manē primūm temet erigis, à precatiuncula diem auspicans. Non enim potes ab omine feliciore. Simul ac exoneraueris aluum, ne quid agas, nisi prius lota facie, manibusq; & ore proluto.

Quibus contingit benè nasci, his turpe est generi suo non respondere moribus. Quos fortuna voluit esse plebeios, humiles, aut etiam rurestres, his impensius etiam adnitendum est, vt quod sors inuidit, morum elegantia pensent. Nemo sibi parentes aut patriam eligere potest, at ingenium moresq; sibi quisq; potest fingere. Colophonis vice addam præceptiunculam, quæ mihi videtur propemodum primo digna loco. Maxima ciuitatis pars est, quum ipse nusquam delinquas, aliorum delictis facile ignoscere, nec ideò sodalem minus habere charum, si quos habet mores inconditiores. Sunt enim qui morum ruditatem alijs compensant dotibus. Neq; hæc ita præcipiuntur, quasi sine his nemo bonus esse possit. Quod si sodalis per inscitiam peccet, in eo sanè, quod alicuius videtur momenti, solum ac blandè monere ciuitatis est.

DE CIVILITATE

Hoc quicquid est muneris, Henrice fili charissime, vniuerso puerorum sodalitia per te donatum esse volui, quo statim hoc congiario simul & commilitonum tuorum animos tibi concilies, & illis liberalium artium ac morum studia commendes. Præclaram indolem tuam Iesu benignitas seruare dignetur, semperq; in melius prouehere. Datum apud Friburgum Brisgoia, Mense Martio, Anno M. D. XXX.

Finis Morum ciuilitatis Erasmiæ,
Cuius in Quæstiones redactæ,
Nuncupatoria sequitur
Epistola.

STEMMATVM AC INGENIO-
rum nobilitate claris pueris, Adolpho
Guilielmo Dornibergio, & Adolpho Rhau,
discipulis suis studiosissimis Rein-
hardus Hadamarus,
S. D.



TSI MIHI DVBIVM
non fuit, honestissimi pueri, quin
(vt iam sunt tempora ac mores)
suboritur essent, qui lucubratiun-
culam hanc meam, genuino sint
arrosuri, tamen cum vobis eandem non paruo vsui
fuisse,

fuisse, cōpertum haberem, malui per vos, & alijs, maximè Pædagogicis nostris, inseruire publicãdo, quàm irreptura Zoilorum petulantia deterritus quiescere supprimendo. Quippe nullius salem nigrum aut succum (vt Horatius inquit) loliginis extimescam, dummodò vel aliquid utilitatis illi meæ opera cōsequantur. Et neminem inficias iturum crediderim, è concinnis frugi de rebus quaestionibus non multò minus emolumentum, quàm ex continuo structurae contextu, ac longiore verborum ambitu, iuuenilibus ingenijs accessurum. Nec eruditissimos viros ab eodem docendi genere abhorruisse, sed plurimas τῶν ἐρωτημάτων καὶ προβλημάτων editiones & commoditates adferendo puerorum studia, quàm plena manu promouisse, persuasum habentes, non calumnia, sed dignissimum laude, quocunq; tandem pacto, quacunq; ratione, quocunque modo puerilibus studijs prodesse, & huic rei qui accingunt sese, nihil melius, nihil laudabilius, nihil deniq; honestius facere posse. Porro si non multum ex isto labore meo, tamen illud ad pueros pædagogicos nostros utilitatis perueniendum erit, vt cum bis in harenam examinis descendere soleant quotannis, ac velutò lustrari, certas in CIVILITATE MORVM (vt in alijs disciplinis acceperunt) sint habituri quaestiones, quibus instructi, alacriores multò responsuri, professoribus nostris omnium

Id est, quaestionum, & propositionum.

DE CIVILITATE

eruditissimis examinaturis, quos suas haud gra-
uatim interrogationes, ad praescriptas quaestio-
num formulas accommodaturos cognouerint.
Alioqui semper futurum, vt qui nihil in lingua
latina fundamenti iecerint, hesitantes ac balbu-
tientes, mala responsa daturi, & quae si dictentur
(vt factum est) perperam excipientes, pessimè
sint reddituri. Adde, quòd in vespertinis, iuxta
vtilissimam Pedagogij nostri consuetudinem, re-
petitionibus, vtrorumq; hoc est, & propositionum
& responsionum, penuria, posthac non sint labo-
raturi. Ex quibus omnibus si quid frugis bonae
prouenerit, id omne vobis acceptum referri de-
bet, qui benefaciendi praebuistis occasionem. Vos
autem, ingeniosissimi pueri, melioribus in studijs,
stemma vestra literis ac virtutibus (quae vera
nobilitas) exornantes, infracti progredimini, pa-
rentibus vestris ac amicis, hominibus clarissimis,
honori, patriae maximo vsui, Illustrissimo deniq;
Hessorum Principi, cuius beneficio, discipli-
nis hic optimis imbuimini, propedi-
em summo futuri ornamento.

VALETE,

GERAR-

GERARDVS GELDENHAV-
rius Nouiomagus, Ad
Lectorem.

A Mice Lector, hunc qui primum conspicias
Nouum libellum, quaeso, ne quod plurimum
Fieri solet, nasuto nostro seculo,
(Quo quisq³ iam sapit atq³ cuncta intelligit)
Mox altum exclames: Nugarum puerilium
Quando ergo satis? Sic has subinde renascier,
Et esse nomen qui profitentur hinc suum?
Sed istud ipse rectius considera,
Pueros perinde operam nostram deposcere
Sibi, nec his deberi hanc fastidiosius
Quam reliquis, eadem doctis iam via.
Frustraq³ laborem insumerent quotquot libris
Sibi nomen aucupantur clarioribus,
Ni sint studio quorum queant intelligi.
Nam nemo vir vnquam doctiora intelliget,
Qui non puer his similes nugas edoctus est,
Nugas pro more appello, Sed quae seria
Ducunt, pietatem, officia, mores, literas,
Quare hos sua ne dedigneris gloria,
Qui liberis, lector, student etiam tuis.

Ex tempore.

C 3 MORVM

DE CIVILITATE
MORVM INTEGRITATE NOBILI-
bus adolescentibus, Guilielmo & Phi-
lippo, filijs Generosi Domini D. Philippi Comitis
à Solms, ac Domini in Mintzenberg &c.

Discipulis suis probissimis, Rein-
hardus Hadamarius,

S. D.

*Vt iuuentuti reliquæ præitis
Copia rerum, specie venusta,
Laude maiorum, potioris altæ
Sanguine stirpis:
Sic eam, veri cupidos honoris
Vos decet clara superare cultu
Artium, ac morum serie bonorum
Vincere longè.*

*Vnde vos dici meritò potestis
Nobiles, Virtus generosa confert
Sola, non fictos titulos, honores,
Nobilitatem.*

*Quod parens vester generosus, imis
Sensibus voluens: modò vos alendos
Arte Marpurgum potiore, Licha
Misit ab arce.*

CIVILI-

CIVILITAS MORVM

ERASMI, IN SVCCINCTAS

Quæstiones digesta.

PRIMA QVÆSTIO.

MVNVS FORMANDI PVERI-
tiam, quot partibus constat?

RESPONSIO.

Quatuor potissimum. Principiò, vt tenellus
animus seminaria pietatis imbibat. Deinde, vt li-
berales disciplinas & amet, & perdiscat. Post-
modum, vt ad vitæ officia instruatur. Postremò,
vt à primis statim æui rudimentis, Ciuilitati mo-
rum adsuescat.

Quid est ciuilitas? Est morum comitas &
humanitas.

Ad quidnam conducit id corporis de-
corum? Ad conciliandam beneuolentiam, & ad
præclaras animi dotes, oculis hominum commen-
dandas.

Vnde ciuilitas morum proficiscitur?
Ab animo benè composito, atq; modestia, quæ pu-
eros in primis omnes decet, sed in his præcipuè no-
biles.

C 4 Quinam

DE CIVILITATE

Nobiles. Quinam verè sunt habendi pro nobilibus? Qui studijs liberalibus excolunt animos, & suis in clypeis non leones, aquilas, gryphos, tauros, & leopardos, sed imagines tot possunt depingere, quot perdidicerunt arteis liberales. Et Antisthenes ille confirmavit eos nobiles, qui virtutibus essent præditi, τὸς αὐτὸς εὐγενεῖς τὸς καὶ εὐαρετὸς.

Id est, eosdē nobiles, qui virtutibus redimti essent.

Oculi.

Vnde benè compositus animus digno scitur? Ex oculis, supercilijs, fronte, & breviter, ex ipso vultu, totiusq; corporis habitu.

Quales debent esse oculi? Non torui, non vagi ac volubiles, non limi, nec immodicè ducti, non conniuentibus subinde genis ac palpebris, non stupentes, nec nimium acres, non innuentes, ac loquaces: sed placidi, verecundi, ac compositi.

Cur tam accurata oculorum habenda ratio? Quoniam animi sedem in oculis esse præsci sapientes tradiderunt. Et iuxta Plinium: Oculi, ceu vasa quædam, visibilem animi partem accipiunt, ac transmittunt.

Cuius est clauso oculorum altero inspicere? Fabri lignarij cuiuspiam, aut lapidicidæ, qui oculo rubricam, vt Persius ait, dirigit vno. Est item thynnorum, qui limis, atq; altero oculo obliquè inspicientes, prouerbio locum fecerunt.

Cuiusmo-

Cuiusmodi decet esse supercilia? *Ex-Supercilia*
porrecta, non adducta, non sublata, non in ocu-
los depressa. Fastus enim ac superbiae sedes habetur
in illis.

Qualis debet esse frons? *Hilaris & expla-Frons*
nata, non in rugas contracta, non mobilis, non
torua. Est enim tacitus animi sermo.

Decetne facturum, aut dicturū quip-
 piam, apud ignotos manu faciem per-
 fricare? *Quamuis, autore Plutarcho, dicturus*
ipse Tullius, laeva faciem demulserit, tamen hunc
gestum inter pronunciationis vitia, Quintilianus
notat, inquiens: Vitiosa sunt illa: intueri lacuna-
ria, perfricare faciem.

Quales debent esse nares? *Munda & ab Nares*
omni mucoris purulentia aliena.

Decetne pileo aut veste nares emun-
 gere? *Non, sed strophio, idq, paulisper auerso*
corpore, si qui adsint honoratiores: nam illud ru-
sticorum, hoc salsamentariorum est.

Estne pituita vesti illinenda? *Minimè,*
sed emuncto duobus digitis naso, in solum deijci-
enda, & mox pede proterenda, ne cui mucchi spur-
citia nauseam moueat.

Estne decorū naribus vocem aut ron-
 chos emittere? *Nequaquam: illud enim corni-*
cinum ac elephantorum, hoc furiosorum.

Cur non decet cum sonitu spirare?

C S Quo-

DE CIVILITATE

Quoniam bilis id indicium est, ac phreneseos.

Quos decet crispare nasum? Scurras, irrisores, ac sanniones, non indolis puerum liberalis.

Sternutatio.

Quid faciendum, si incidat sternutatio? Corpus auertendum est, os crucis imagine signandum. Resalutandi, qui salutarunt. Non opera data sternutamentum iterandum, nec sonitus, quem natura tulerit, reprimendus.

Quales decent esse malæ? Non cerusa, fucos, aut ascititio colore tinctæ, sed natiuo ac ingenuo pudore.

Pudor.

Estne decorum pudore suffundi? Modesto ac temperato decet, non qui stuporem adducat, aut deliranti similem reddat, vel stipitem representet.

Quo pacto rusticus pudor temperari potest? Si viris grauitate præcellentibus conuerseris, & Comædijs agendis sapius exercearis.

Fastuosus, maximus.

Estne decorum buccas inflare, aut eas prorsum demittere? Minimè, Quoniam alterum vtriculariorum est, & inprimis eorum, quos prouerbium $\kappa\acute{o}\mu\pi$ & $\mu\acute{\alpha}\xi\iota\mu\circ$, celebrat. Alterum animos despondentium, aut arborem suspendio deligentium.

Oris habitus.

Quisnam oris habitus? Non prematur, non hiet, non porrigatur, sed leniter osculantibus

bus se mutuo labris coniunctum sit.

Quinam porrigere labra, ac veluti popisimum facere solent? *Adulti magnates per mediam turbam incedentes, qui omnia sese putant decere.*

Quodnam decorum in oscitando seruandum est? *Si non datur auerti aut cedere, strophio, aut vola tegendum os, & crucis imagine signandum.* Oscitatio.

Cur oscitante vno oscitat & alter, vt inde natum sit prouerbium? *Quia vt natura quendam similitudinum consensum, ita affectuum habet.*

Estne omnibus dictis aut factis arridendum? *Omnibus arridere stultorum est: nullis stupidorum. Proinde in his, vt in rebus alijs omnibus, praestiterit auream seruasse mediocritatem.* Rifus.

Quinam obscenè dictis aut factis solent arridere? *Bipedum nequissimi, quibus impudens os, perfricta frons est. Verum honestus puer non arridebit, imò vultum componet, quasi non intelligat, aut factum turpe videat.*

Decetne puerum risu syncrusio conculi? *Minimè. Nam vt honesto puero turpe est, muliebri more eiulare, si quid doleat, ita gaudio immoderato resolui, & in cachinnum effundi, parum decorum est.*

Estne

DE CIVILITATE

Estne decorū ridendo hinnitum edere, & corrugatis buccis, nudatisq; dentibus oris rictum latè diducere? Nequaquam. Illud enim scurrarum est, ac morionum, hoc canum rabidorum.

Quibus conueniunt illæ voces: Risu diffuso, dissilio, emorior? Stultis, quorum rationem affectus absorpsit.

Vultus hilaritas.

Quo vultu hilaritas exprimenda? Sic vt habitus oris non dehonestetur, nec animus dissolutus arguatur.

Quid faciendum, si res incidat ridicula, atq; adeò, vt risus teneri nequeat? Civilitatis erit, mappa aut manu faciem tegere, & modestè, non effusè ridere.

Decetne ridere euidentem nullam ob causam? Minimè. Verùm si quid eiusmodi fuerit obortum, causa risus aperienda: quæ si non idonea prolata, commentitium aliquid asserendum, ne quenquam deridere videaris.

Labra quid deceat.

Cur non decet labrorum oras circumuoluta lingua subinde lambere? Quoniam ineptorum is gestus est, non benè moratorum, & magis canibus ac felibus, quam pueris ingenuis competens.

Habetur ne urbanum labra dentibus mordere? Non. Quoniam hoc ipsum minitantis est, et eius qui stomachatur, animoq; ringitur.

Cur

Cur indecorum est exerta, porrecta q̄; aliquem lingua deridere? Quoniam id scurrarum, qui nulla verecundia aut dignitatis habitata ratione, quodlibet patrant, atq; adeò, vt qui semel scurra, nunquam bonus paterfamiliàs.

Quid in expuendo pueros facere de- Spuere, cet? Corpus auertere, ne quem conspurcent, aut aspergant. Deinde si quid purulentius in terram reiecerint, pede proterere, ne cui nauseam moueant: id si non liceat, linteolo sputum excipere.

Cur inciuite putatur, ad tertium quodque verbum, vt quidam solent, expuere? Quoniam consuetudo turpis est, ex officinis quorundam cerdonum profecta: & eos, qui non ex necessitate, sed ex vsu crebrius expuunt, taxat prouerbiũ: Psecas aut ros.

Cur inter loquendum identidem sub- Tussis, tussire non decet? Quia is gestus mentientium est, & inter dicendum quid dicant comminiscientium.

Quibus nam conuenit saliuam resorbere? Inurbanis, canem reuersum ad vomitum, aut ad luti volutabrum suem imitantibus.

Cur non decet more quorundam ad Eructatio, tertium quodq; verbum eructare? Nempe quòd indecora res sit, quæ si à teneris annis in consuetudinem abierit, hæsurã sit in grandiore etiam etatem.

In

DE CIVILITATE

In tussiendo quodnam decorum puer
obseruabit? *Vt in os nemini tussiat, nec clarius,
quàm natura postulet, tussire gestiat.*

Vomitus. Estne turpis vomitus? *Turpissimus est,
ac foedissimus, accersitus ingluuie, Verùm vt ne-
cessitati naturæ succurras, venia dignus habe-
tur.*

**Dentium
cura.** Estne curanda dentium mundities?
*Est, Nam si neglexerit eam puer, damnum ac-
cipient dentes, qui indomiti flammis, tabe ca-
uantur, & pituita. Eos igitur manè pura aqua
proluet, non puluisculo, quod puellarum, nec sa-
le aut alumine, quod gingiuis perniciosum, de-
fricabit.*

Estne id quod dentibus inhæsit, cultelo,
lo, aut mantili, aut more canum aut feli-
um vnguibus eximendum? *Minimè, sed po-
tius auicularum pennis, aut ossiculis è gallorum,
aut gallinarum tibijs detractis.*

**Quæ circa
caput.** Qualis debet esse capitis ornatus?
*Mundum sit caput, non impexum, nec lendium
aut vermiculorum sordibus foedum. Absit nitor
puellaris.*

Decetne subinde scabere caput? *Non,
quia vt reliquum corpus fricare vnguibus, præser-
tim si fiat vsu, non necessitate, sordidum est, ita
caput subinde scabere, indecorum est.*

Qualis debet esse coma? *Non prolixior,*

non

non frontem tegat, nec humeris inuolitet, vt merito caesaries dici possit.

Quibus conuenit concussio capite discutere capillitium? *Ceruix* Lasciuientibus equis, & quassantibus hydras Eumenidibus.

Quibus videtur elegans caesariem à fronte in verticem manu retorquere? Opilionibus prolixam comam nutrientibus. Item mollibus, & inurbanis Epicuri de grege porcis.

Qualis debet esse ceruix? Non inflexa, non in laeuum, nec in dextrum vergens, sed (vt etiam corpus) molliter sit erecta.

Quinam solent ceruicem inflectere & scapulas adducere? Nulli adolescentes morati, sed ranciduli Dromones, longoq; veterno torpescentes Barbari, ex triuio.

Quo libramine temperari debent humeri? *Humeri* Aequo, non in morem antennarum, alter attolli, alter deprimi.

Cur in pueris gestus corporis negligi non debent? *Gestus corporis* Ne consuetudine in naturam versi, corporis habitum præter naturam olim deforment. Tenacius enim hærent, quæ rudibus annis percipiuntur. Vnde illud: Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem Testa diu.

Decetne brachium vtrunq; in tergum detorquere, aut iniicere manus in ilia? *Brachia*

Minimè,

DE CIVILITATE

Minimè, quoniam veterinosi alterum est, ac furis, alterum Thraſonis ac Ardelionis.

Quinam elegantes ac decentes corporis gestus probantur? Non qui stultis, nec delicatis aulicis placent, sed qui naturæ ac rationi consentanei sunt.

Pudor seruandus.

Sunt ne membra, quibus natura pudorem addidit, retegenda? Minimè, verùm si necessitas ad nudandum compulerit, id faciet puer decente verecundia, credens & angelos adesse, Et oculum Dei omnia videre.

Estne decorum eadem membra alienis manibus tangenda porrigere? Minimè. Nam quorum conspectum oculis subducere pudicum est, ea multò minus oportet alieno contactui præbere.

Lotium.

Estne ciuilitatis remorari lotium? Vrinam secretò reddere verecundum est, remorari autem valetudini perniciosum.

Flatus ventris.

Estne decorum cõpressis natibus retinere flatum ventris? Rusticitatis ac impudicitie argumentum est, assessoribus oppedere, si id mala consuetudine facias, naturali nulla necessitate impulsus.

Sedendū ac standū quo modo.

Quibus conuenit diductis genibus sedere, aut stare diuaricatis tibijs, ac distortis? Thraſonibus, qui à confidentia dicti arrogantes, atq; stolidi.

Quo-

Quomodo igitur standum aut sedendum? *Sedenti coëant genua, stanti pedes, aut certè modicè diducantur.*

Decetne puerum hoc gestu sedere, vt alteram tibiam altero genu suspendat? *Non decet, quoniam anxiorum est, & quorum capiti lapsus (vt aiunt) Tantali videatur impendere.*

Decetne puerū stare decussatim compositis tibijs? *Minimè, quoniam id ineptorum est, quibus Siculae (vt aiunt) nugæ, non boni mores, sunt cura.*

Quinam olim sedentes dextrum pedem læuo femori solebant iniicere? *Prisci reges, quos temporum nostrorum consuetudo vetat imitari.*

Quinam stantes alterum pedem altero, honoris gratia, premere, vniq; prope modum tibiæ, ciconiarum ritu, insistere solent? *Quidam Itali, quos an puer ingenuus imitari debeat, ambigitur.*

Quodnam in flectendis genibus decorum seruare decet? *Cùm neminem inuenias, cui patriæ suæ consuetudo non vel optima videatur, liberum erit hîc vernaculis vti moribus, vel alienis obsecundare, maximè si varietas nihil cum honesto pugnet.*

Genu flectendi ratio.

Qualis debet esse incessus? *Non fractus, Incessus.*

D quod

furis,
orpo
c de-
tioni
ado,
um si
t pu-
desse,
alie-
ini-
ucere
con-
Vri-
orari
eti-
udi-
si id
essi-
s se-
stor
gan
uo-

DE CIVILITATE

quod mollium est: non præceps, quod furiosorum
est: non vacillans, quod ebriorum: non subclaudi-
cans, quod eorum est, qui magnum ornamentum
putant, in pileo gestare plumas.

Quibus conuenit sedendo pedibus lu-
dere, & manibus gesticulari? Illud stulto-
rum est, hoc eorum, quibus mens parum integra.

DE CVLTV.

Questiones.

Estne vestitus decori ratio diligentior
habenda? Est, cum vestis, quæ (vt prouerbio di-
citur) virum facit, corporis quodammodo sit cor-
pus, vnde habitum animi liceat conijcere.

Vestitus
ratio.

Potestne certus vestium modus ac ha-
bitus præscribi? Non potest, quoniam non om-
nium par est vel fortuna, vel dignitas, nec apud
omnes nationes eadem decora aut indecora, nec
omnibus seculis eadem placent, displicentve.

Id est, legi
& regioni.

Quid faciendum in tantis vestimento-
rum varietatibus? Quemadmodum non mi-
nimæ prudentiæ ars fuerit, Polypi mentem obti-
nere, hoc est, pro tempore, loco, & consuetudine
alios atq; alios mores assumere: Ita ciuilitatis erit,
inseruire νόμος & χώρα, maximè si honestas non
fuerit reluctata.

Qua-

Qualis cultus decet adolescentem? Neglectus, Adsit tamen cultui mundicies, non muliebris, vnde rectè Ouidiana Phædra:

*Sint procul à nobis iuvenes vt fœmina compti,
Fine coli modico forma virilis amat. Et alibi:
Forma viros neglecta decet.*

Qualis interularum, tunicarum, sinuum, & brachialiorum ora debent esse? *Omnia munda. Non aspergine lotij picta, nec oris ac narium pituita, quod indecorum est tectorium, incrustata.*

Quid Socrates conspecto adolescentulo, qui refulsit cultu delicato & parum virili, dixit? *Non te pudet, qui peius tibi velis, quàm ipsa natura. Siquidem illa te virum fecit, tu te ipsum refingis in fœminam.*

Cuinam decorum est prolixas vestium caudas trahere? *Nemini homini, cùm id in fœminis rideatur, in viris improbetur.*

Cur multitia cùm viris tum fœminis probro datur? *Quoniam olim infames pellucente, atque mollicina veste non decebat vti. Vnde Iuuenalis ait: Talem non sumet damnata togam. Ergo cùm præcipuus vestium sit vsus honestare corpus, ac tegere partes eas, quæ impudicè ostenduntur oculis hominum, valdè decuerit honestioribus vti vestimentis, iniuria nulla corpus adfecturis.*

DE CIVILITATE

Quibusnam conueniunt vestes breui-
ores, quàm vt inclinantibus nates tegāt?
*Non moratis & ingenuis pueris, sed Cynædis, Si-
myis, aut Cercopythecis.*

Decetne pueros reiectis circa hume-
ros tunicis, ac manicis in terram pro-
pendentibus, ac demissis incedere ven-
tilando? *Minimè, Id enim discinctorum Nacca-
rum est, non honestorum puerorum, quos decet
manicas ac togas decenter induere. Non quasi ve-
terem acturi Tragœdiam, longa syrmata tra-
here.*

Quibusnam disseccare vestes, aut pictu-
ratis vti conuenit? *Illud amentibus, hoc simijs,
ac morionibus.*

Estne ciuilitatis, si quam vestem à pa-
rentibus elegantiozem acceperis, passim
ostentare, & reflexis oculis mirabundum
te contemplari? *Minimè. Alterum enim le-
nunculorum est insolentium, & eorum qui suam
alijs miseriam exprobrant. Alterum cornutorum
Beanorum, simiarum, pauonum, atq; morionum.*

*Ergo quò maior fortuna tua fuerit, eò mo-
destia sit excellentior &
amabilior.*

DE

DE MORIBVS IN

Templo.

Quæstiones.

Quidnam in templo cum sacra peraguntur, facere puerum decet? Totum corporis habitum ad religionem componet, ad altare faciem, animi nervos ad Christum diriget. Cum recitatur Euangelium, assurget, & si poterit, auscultabit religiosè, idq; nudato capite. Ad nomen saluatoris nostri genua flectet, ad concionantem oculi spectabunt, attentè aures erunt, huc inhiabit animus cum omni reuerentia.

Estne decorum nugas obgannire, obambulare, huc illuc oculos circumferre vagos, exercere petulantiam? Minimè gentium. Illud enim infidelibus, hoc factioni peripatetica, tertium amentibus, quartum nebulonibus conuenit. Vnde existimandum nos frustra templum adyisse, nisi inde meliores ac puriores discesserimus.

Quibusnam locis conueniunt deambulationes, & confabulationes, quæ fiunt in æde sacra? Non templis, quæ diuinis concionibus, mysterijs, atq; deprecationi sunt dicata, sed conueniunt foro, porticibus, atq; conciliabulis.

Decetne in procumbendo, terram al-

DE CIVILITATE

terro genu contingere, erecto altero, cui læuus innitatur cubitus? Non. Id enim Iudaorum est, qui subsannatores illusere Christo. Corpore igitur ad venerationem composito, genu demittendum est vtrunq₃.

DE CONVIVIO.

Questiones.

Quid ornat conuiuium? Modestia, hilaritas, verecundia, ac taciturnitas.

Mensæ ad-
ornatio.

Quomodo puer mensam adornabit? Mappam nitentiolem insternet, Circulum apponet in medium, quadras inijciet, ad quarum sinistram partem repurgatos panes, quatuor ad mensæ angulos relictis, Salinum apponet elegans, cochlearia & pocula benè mundata, in horum appositione consuetudinem patriam imitabitur, ex ordine sellas, iniectis singulis puluinaribus, collocabit, gutturnium eluet, aquam manibus eluendis afferet.

Consecran-
dæ mensæ
ratio.

Quonam gestu stabit mensam consecraturus? Vultum ac manus ad religionem componet, conuiuij primarium, aut si fors adsit, imaginem Christi spectabit: ad nomen Iesu, matrisq₃ virginis vtrunq₃ genu flectet. Orationem proferes articulatim, non verba precipitabit.

Quorum admonendus est mensæ administra-

ministratores? *Vt erectis ac iunctis pedibus stet, Mensæ mis- respiciens ne quid desit. Amandatus aliquò, redi- nisterium, tum maturet. Cùm insuendendum, porrigendum, apponendumve quid fuerit, id ciuilitè faciat, ne- minem perfundat, pocula porrecturus non in ma- nus præbeat, sed in mensam ponat. Conuiuiarum sermones non interturbet. Interrogatus, breuiter respondeat. Ad varietatem ferculorum quadras mutet. Si varia vina, eadem ne commisceat. Sub cœnam pro emungendis lucernis euigilet. Emun- cturus è mensa tollat, non extinguat candelam. Hanc ad illuminandum portans ipse præcedat. Quod emunctũ harenæ immergat, aut solea pro- terat. Quod de mensa remotum, non, quod para- sitorum est, abliguriat.*

Quomodo remouenda mensa? *Eodem Mensa quo ferè quo apparatus. Orbes colligentur primùm, modo re- posthac salsamenta & sal, inde caseus, vel quic- mouenda, quid aliud est pemmatum. Ad vltimum vnà cum pane remouebitur & mappa.*

Quid faciet ad conuiuium vocatus? *Conuiuas Non sit tardus, sed hora præscripta veniat. Non vocatos adducat canem, vel vmbra. Quicquid in animo quid de- egre est, abijciat. Ad honoratiorem locum sedere ceat, iussus, primùm excuset. Si instabitur, autoritate prædito obtemperans, sedeat, sed lotis manibus, vnguibus præsectis.*

Cultrum habeat acutum, non qui magis præ-

D 4 mat,

DE CIVILITATE

Mensæ
mores.

mat, quàm scindat, Nō gesticuletur manibus, aut pedibus ludat. Non mensam aut quadram fodiat. Quod in terram lapsum, ori non admoueat. Buccellas non nimis amplas aut densas hiante nimis ore, quasi cum accumbentibus omnia fercula deupraturus, capiat. Salino digitos nō indat, quantum satis est cultello sumat: si longius est, porrecta quadra petat. In poculo non appareat supernatans pinguedo, aut sagimen.

Quænam in conuiujs vehementer inciuilia reputantur? Abs te semesa alteri porrigere, panem decorticare vel excauare. Caseum ita scindere, vt falcis aut serræ figuram representet. Cibum mansum è faucibus eximere, & in quadram reponere. Equorum sonitu bibere. Cogitabundum accumbere. Stupere quasi totus animus sit in patinis. Oculis circunactis obseruare quid quisq; comedat. In quenquam conuiuiarum oculos diutius intentos habere. Transuersim hircus intueri, qui in eodem accumbunt latere. Retorto in tergum capite contemplari quid rerum geratur in altera mensa. Effutire quod offuscet hilaritatem. Absentium famam ledere. Suum cuiquam dolorem refricare. Quod appositum est vituperare. Dicta vel facta sic obseruare, vt omnia foràs eliminet, quem taxat prouerbum: Odi memorem compotorem.

Quænam inter edendum habentur
inurbana?

inurbana? Tantum simul in os ingerere, vt Edendi
 vring³, ceu magnifolles tumeant buccæ: Buccel- ratio.
 las nimis densas & amplas sumere: Piper edendo
 digitos prælingere: Thoracem cōmaculare: Man-
 dendo labiorum diductu sonitum more porcorum
 edere: Ore pleno vel bibere, vel loqui: Ossa cul-
 tris purganda, dentibus arrodere: Eadem, aut si
 quid simile reliquū, sub mensam abijcere: Panem
 pectore proscindere: Cibum aut ossa, semel sepo-
 sita, repetere: Panem prærosū iterum in ius im-
 mergere.

Accumbentis vbi manus erunt? Vtraq³
 supra mensam, non coniunctim, non in quadra,
 nec in gremio.

Decetne utroq; vel altero cubito inniti
 mensæ? Minimè. Id enim senibus & agrotis
 condonatur. Delicatis item quibusdam aulicis,
 qui se decere putant quicquid agunt.

Decetne inter conuiuandum relaxare
 vincula? Nullo modo. Voracitatis enim odiosæ
 signum est, in eos competens, qui sunt pernicies,
 & tempestas, barathrumq; macelli.

Quodnam decorum sedentis erit? Pe- Sedendi
 xum ac reiectum caput, & æquo libramine cor- ratio.
 pus erectum habere, non in sella vacillare, non iam
 huic, nunc alteri nati vicissim insidere. Non cubi-
 to proximè accumbentem, nec pedibus ex aduerso
 sedentem molestare.

D 5 Adhære-

DE CIVILITATE

Adhærebitne puer mensæ vsq; ad con-
uiuij finem? *Non manebit, sed sumpto quod
satis est, sublata quadra sua discedet, flexo popli-
te, salutans conuiuas, inter eos maximè honora-
torem.*

Estne panis vna vola pressus, summis
digitis refringendus, aut crustum vndiq;
reuellendum? *Minimè. Id enim est delicato-
rum Apitiorum, aut Philoxenorum. Quare cul-
tello decenter secandus, & vt res sacra, panis reli-
giosè tractandus.*

Panis chari-
tatis sym-
bolum.

Cur panem fortè delapsum in terram
solemus exosculari? *Quoniam sacrum cha-
ritatis, & concordie symbolum est, quo veteres
amicitiam veram conciliabant. Vnde illud Pytha-
goricum: Panem ne frangito.*

Decetne puerum à poculis conuiu-
um auspicari? *Non decet. Etenim ea res cùm
moribus non solùm inhonesta sit, sed etiam cor-
poris valetudini officiat, relinquenda est potori-
bus, qui bibunt, non quòd sitiant, sed quòd soleant.*

Edendum
quatenus.

Quomodo reficiendum puerile cor-
pus? *Citra plenam saturitatem, & magis cre-
bro, quàm copioso, non immodico cibo diffarcien-
dum.*

Cur nimio cibo puerile corpus non
est plus æquo distendendum? *Quoniam,
vt Gellius ait, compertum est, pueros, si plurimo
cibo*

cibo nimioq³, somno vtantur, hebetiores fieri, indeq³ tarditatem elici.

Quando & quoties in mensa bibet puer? *Bibendum er? Cùm aliquandiu pastus fuerit, de secundo quoties, missu, maximè sicco, non statim post sumptam ex iure offam, nec post lactis esum. Et sæpius quàm bis, ad summum ter in conuiuio bibere, puero nec decorum, nec salubre. Et quartum craterem insanie esse contendit Anacharsis. Cauendum autem imprimis, ne ingurgitetur nimio vino.*

Quænam præmia mero gaudentes sequuntur? *Potorum præmia, Dentes rubiginosi, pallor, halitus fetidi, genæ defluentes, stupor, manus tremula, furiales somni, inquietas nocturna: & breuiter, Senium ante senectam, morsq³ memoria.*

Quinam potus puerili ætati maximè conuenit? *Potus puerorum, Qui feruidam ætatem, non magis feruidam, ne iuxta prouerbum, oleum camino addatur, reddit, nec qui inebriat. Non mala est igitur cereuisia tenuis. Item aqua, si regionis qualitas patiatur. Ad hæc, vinum nõ ardens, sed aqua dilutum.*

Quid faciet de communi aut alieno poculo bibiturus? *Cibum præmandet, labra mantili aut linteolo absterget, inter bibendum alios intortis oculis non intuebitur, nec cervicem in terga reflectet.*

Quidnam inter bibendum habetur valdè

DE CIVILITATE

Bibendo
quid de-
ceat,

valdè rusticum & illiberale? *Alios intortis oculis intueri, & more ciconiarum reflectere cervicem, ne quid hæreat in imo cyathi: Quod eorum est, quibus conuenit prouerbum: Tollere maschalam.*

Inuitatus ad bibendum quid faciet puer? *Admotis cyatho labris paulum libabit, & si non sitiatur, se bibere simulabit. At si quis rusticus irserit, se tum responsurum pollicebitur, cum adoleuerit.*

In mensa
quæ de-
ceant.

Suntne manus statim, ubi vix benè confederis, in epulas conijciendæ? *Non sunt, Id enim luporum est, & eorum qui de chitropode cibum nondum sacrificatum rapiunt, more scrofarum ad cibum capiendum irruentes.*

Quare cibum appositum primus statim attingere non debet? *Nempe ut affectui temperare assuescat, & ne feruidum inexploratum recipiens cogatur expuere, aut ridiculus gulam adurere: postremus igitur ac iussus admouebit manum patinæ.*

Quid respondebat Socrates, rogatus, cur de primo cratere non biberet? *Ne consuescam, inquit, affectibus obsequi. Digna certè philosopho sententia.*

Suntne digiti in iussulenta mittendi, & toto quæ placeant disco eligenda? *Non sunt, Illud enim agrestium est, hoc liguritorum.*

Ergo

Ergo quod ante te iacet, sume vel cultello, vel fuscinula.

Decetne manū in omnes patinæ plagas mittere, aut patinam, vt ad te veniant lautiora, inuertere? Minimè, Id enim est Afortorum, ac ventri, non honestati inseruientium, lurconum.

Decetne porrectum cibum assumere? Decet, sed digitis tribus, aut porrecta quadra. At tamen præmittenda prius est excusatiuncula, postmodum resecta portiuncula, reliquum offerendum ei qui porrexerat, aut proximè assidenti communicandum.

Quomodo recusandum id est, quod oblatum non conuenit stomacho tuo? Non dicendum cum Terentiano Clitiphone: Non possum pater: Sed comiter agenda gratia. Quòd si perstiterit inuitator, verecundè respondendum, aut non conuenire tibi, aut te nihil amplius requirere.

Quomodo placenta vel artocrea, vel simile quiddam accipiendum est? Non digitis, sed quadra, aut cochleari, quod scilicet, inuerso in quadram cibo, reddendum.

Quid faciendum, si liquidius quiddam tibi gustandum cochleari porrigatur? Quod offertur sumendum est, & cochleare, sed ad mantile prius extersum, reddendum.

Decetne

DE CIVILITATE

Decetne cunctos digitos vel ore præ-
lingere, vel ad tunicam extergere? *Minimè, nam id mappa potius aut mantili facien-
dum.*

Estne decorum integros bolos magno
gutturis hiatu deglutire? *Non est, nam hoc
ipsum ciconijs aut voracibus lupis conuenit, non
ætati puerili, cuius valetudinem offendunt ista ci-
borum ingesta crassamenta.*

Estne ciuile, si quid à structore rese-
ctum fuerit, & priusquam ille offerat,
porrigere manum aut quadram? *Minimè,
nam sic præripere, quod alteri paratum erat, vi-
deretur.*

Secandi
ratio.

Estne à primis statim annis secandi ra-
tio discenda? *Maximè, sed non superstitiosa.
Porro aliter armus, aliter coxa, ceruix, cratis, ca-
pus, perdix, anas inciditur. Iuuenalis ait: Nec ni-
mio sanè discrimine refert, Quo gestu lepores, &
quo gallina secetur.*

Ouum quo
modo eden-
dum.

Quomodo manducabit ouum puer?
*Panem prius frustulatim scindet, testam vno ictu
aperiet, ne quid præterfluat cauebit, non potabit,
nec olfactu tentabit, non unguibus aut pollice, aut
inserta lingua purgabit, sed cultello, testas non
confractas in catinum reijciat.*

Quónam inter edendum proijci de-
bent seponenda? *In quadra angulum, aut
discum,*

discum, qui reliquijs excipiendis apponitur, ne vel pavimentum, vel mensæ stragulum conspurcent.

Estne canibus aliquid proijciendum? *Canes alieno non alendi.*
 Vt canes inter conuiuandum tractare stoliditatis est argumentum, ita eos de alieno pascere similitatis ac odij gliscentis irritamentū, ijs solum conueniens, qui de alieno sunt liberales, & ex alieno tergo solent lata secare coria.

Quomodo manducabit puer carnes? *Carnes edendæ quomodo.*
 Minutim prius dissecabit, mox addito pane, aliquandiu mandet, priusquam in stomachum traiciat. Nam raptim deuorare ac tuburcinare, fossorum ac heterognathorum est, non puerorum honestorum.

Quibus conuenit quadram aut patinam, cui saccarum, aut aliud suaue quiddam adhæsit, lingua lambere? *Canibus & felibus, non ijs qui se homines esse meminerunt.*

Estne decorum in conuiujs citra intermissionem edere aut bibere? *Non est, cum id facere soleant illi, qui gestus moderari non possunt, vnde etiam rusticis moribus imbuti, aut scabunt caput, aut scalpunt dentes, aut gesticulantur manibus, aut ludunt cultello, aut tussiunt, aut screant, aut expuunt, ignorantes quoddam fabularum vicissitudo interuallis esum perpetuum dirimere,*

DE CIVILITATE.

rimere, aliorumq³, sermonum auscultatio, hoc vitium corrigere, tædiumq³, fallere debeat.

Cur non respondendum, priusquam orationem finierit is, qui compellat? Ne aliena, nihil (vt aiunt) ad Bacchum respondens, Id est, ligo- sit risui: Detq³ locum veteri prouerbio, ἀμαρ- nes petebā. ἀπ' ἄρχῃ. Vnde rex Salomon in Prouerbijs inquit: Qui prius respondet quàm audiat, stultum se demonstrat, & confusione dignum.

DE CONGRES- SIBVS.

PRIMA QVÆSTIO.

Quid faciet puer, si quis in via honore dignus occurrerit? De via decedet, reuerenter caput aperiet, poplites etiam, si nobilior homo, vel persona grauior obuiam venerit, inflectet.

Honoribus digno veniente obuiam, debetne puer sic cogitare: Quid mihi cum ignoto? Non debet, cum hic honos non homini, sed Deo tribuatur, qui cano iussit assurgere, ac presbyteris duplicatum honorem exhibere.

Magistra-
tus omnis
honoran-
dus.

Deberemus ne Turcam, si (quod absit) nobis imperet, honorare? Deberemus: Nam quod diuus Paulus ait: Nos omnibus hono-
rem

rem præstare debere, quibus honos debeat, Complectitur etiam Ethnicum magistratum.

Et sanctus Petrus dicit: Nos subditos esse debere, non solum bonis dominis, verum etiam prauis.

Quibusnam à Deo secundus debetur Parentum honor? Parentibus ac præceptoribus. Illis, quod ac præceptorum cultus, nos generarint, nostra causa tot labores subierint, ac tædia deuorauerint: His, quod mentes nostras, meliorem hominis partem, multo sudore forment & expoliant.

Habeturne ciuile, æquales inuicem Honor, honoribus se præuenire? Habetur, cum diuus Paulus, Romanis scribens, doceat, vt honore alius alium præcedat. Porrò si parem aut inferiorem honore præuenerimus, non minores reddimur ipsi, sed ciuiliores.

Quomodo loquetur cum maioribus puer? Vt cum æqualibus, amanter ac comiter, ita cum maioribus reuerenter ac paucis, titulum honoris subinde repetendo. Nec abibit nisi præfatus veniam, aut dimissus ab illis.

Inter loquendum vbi manus, vbi pileum habebitur? Pileum vtraque manu iuncta suspensum, pollicibus eminentibus, tegat pubis locum.

Decetne librum aut galerum sub axilla tenere? Non decet, ne fortè (vt ait Horatius) sub ala fasciculum portes librorum, vt rusti-

DE CIVILITATE

*cus agnum, Vt vinosa globos furtiua Pyrrhia
lana.*

Oculi quò
spectent.

Inter loquendum oculi quò specta-
bunt? *Intenti sint in eum cui loqueris, sed placi-
di, ac simplices, nihil proçax, nihil improbum præ
se ferentes. Porrò huc illuc oculos voluere, leuita-
tis est: In terram deijcere, male conscientia:
transuersim tueri, auersantis.*

Loquendi
ratio.

Quali titulo puer alicui locuturus, vte-
tur? *Honorifico, Quòd si titulus eum fugerit,
Eruditi omnes præceptores sibi erunt obseruandi:
Omnes potentes & ignoti, domini: Omnes equa-
les, fratres & amici.*

Quænam inter loquendum indecora
reputantur? *Vultum in varios habitus, vt Pro-
teus, transformare, corrugare nasum, contrahere
frontem, attollere supercilia, distorquere labra,
diducere os, aut premere, capite concusso iactare
comam, sine causa tussire, screare, caput scabere,
aureis scalpere, nasum sæpius emungere, demul-
cere faciem, suffricare occipitium, humeros didu-
cere, rotato capite negare, reducto accersere, &
breuiter, gestibus ac nutibus loqui.*

Inter loquendum quænam vehemen-
ter sunt illiberalia? *Iactare brachia, tussire, &
expuere crebrò, & ab imo pulmone pituitam tro-
chleis adducere, gesticulari digitis, pedibus vacil-
lare, toto corpore loqui, corpus incuruare, inter-
pellare*

pellare loquentem, antequam fabulã absoluerit.

Qualis debet esse vox? *Mollis & sedata, Vox,*
non clamosa, nec tam pressa vel submissa, vt ad
aures eius cui loqueris, non perueniat.

Qualis debet esse sermo? *Non præceps,*
& mentem præcurrens, sed lentus, explanatus ac
distinctus, qui hesitantiam innatam, & tituban-
tiam atq; battologiam emendare solet.

Quomodo puer (si necesse fuerit) rem
pudendam, aut quæ nauseam mouere
possit, nominabit? *Illic verecunda circuitio-*
ne vtetur, hîc honorem auribus præfabitur.

Quod tacitum velis, cui credendum *Arcanum*
erit? *Nemini: Ridiculum enim est ab alio silentij* *cela,*
fidem expectare, quam ipse tibi non præstes.

Cur præstiterit malorum consortia vi- *Consortia*
tare? *Quoniam (vt dicitur) corrumpunt bonos* *malorum,*
mores colloquia praua. Et modicum fermentum
totam massam corrumpit. Et vnus contagio la-
bem in plures fundit, sicut grex totus in agris,
vnus scabie cadit, & porrigine porci.
Vuaq; conspecta liuorem ducit ab vua. Vt Iuue-
nalis ait.

Decetne puerum alias inspicere lite-
ras? *Sibi non oblatas literas intueri parum est*
ciuile, & inurbanius contrectare quod suum non
sit. Proinde puer sese subducet, vbi fors scrinium
aliquis suum aperuerit.

DE CIVILITATE

Fauorem
concilian-
tia.

Id est, sui
amantem.

Quæ res potissimum benevolentiam conciliare, & amicitiam conseruare solet? *Virtutis studia: Idem velle ac nolle: Mutua benevolentia: Facile omnes perferre, ac pati: Non φιλαυτοῦ esse: forma nullius obrectare: Nemini se præferre: Fidei tessaram non confringere: Sedula beneficiorum acceptorum recordatio. Spontanea obsequia.*

DE MORIBVS IN PAEDAGOGIO, ET IN- ter prælegendum ser- uandis.

PRIMA QVAESTIO.

In Phrontisterio quid faciendum pueris? *Taciturnitatis ac modestiae studiosi, semper amantes erunt, nec vllis susurrijs, aut indiscipulnatis colloquijs prælectiones interturbabunt. Cauebunt ne meritò vapulent, Officiorum admoniti nunquam proteruè responsabunt. Peruicaciam omnem ac contumeliam exuent. Ingenium induent & docile & tractabile. Semper attentè, & auribus arrectis auscultabunt. Dictata libenter excipient. Etiam à præceptore solum narrata, non sinent præterlabi. Excepta, quasi thesaurum condentes, memoriae mandabunt.*

Quid Diogenes adulescentulo gar-
rulo

rulo & indecorè loquenti dixit? *Non erubescis, ex eburnea vagina plumbeum gladium educere.*

Quid facient à pædagogio dimissi pueri? *Matura festinatione domum properabunt. Non more sutorum ad oppida nundinaria raptim accelerantium, cursitabunt, Nec more Stentoris clamorem edent, aut turbas, vt lasciuientes caballi, facient: Non vt pecudes horsum aut deorsum proruent. Si quid operis domi faciendum, hilariter, ac citra murmurationem capeissent & expedient. Ad studia non inuiti, sed admodum libenter redibunt.*

DE LVSV.

QVAESTIO PRIMA.

Quænam requiruntur in liberalibus lusibus? *Alacritas ac modestia, Non dolus, non mendacium, non peruicacia, rixarum parens, sed concordia rerum omnium conseruatric.*

Cur ludendi datur copia? *Defessi studijs animi demulcendi gratia, non lucri causa, vel exercenda petulantia.*

Quænam exornant ludum? *Gravitas honesta, lætitia, viuacitas, vigor animi, ordo, charitas mutua ludum decorant. Item ingenuè ac legitime ludere: virtute, non fraude vincere.*

DE CIVILITATE

Quinam pueris prohibiti ludi? *Alea, tesseræ, chartæ, gladiatura, natæ in aquis.*

Quænam relaxamenta sunt honesta, & pueros decencia? *Trochus, pila, globuli, agitatio corporis, cursus, lusus spheræ, & generæ saltus, vt locustarū, vtraq; tibia, iunctis pedibus, vnica tibia.*

Quænam est pulcherrima victoria? *Seipsum vincere: Vnde longè melius, contentioni cedere, quàm palmam reportare.*

Vbi puerorum indoles maximè relucere solet? *In lusu, nam cui ad dolos, mendacia, rixam, iram, violentiam, arrogantiam, procliuius ingenium est, hîc naturæ vitium emicat.*

Quænam in lusu puerum decent ingenium? *Cum nemine contentionem suscipere, victoriam, si res venire videatur ad iurgium, cedere potius, quàm palmam obtinere. Ad arbitros prouocare. Arbitris non reclamare, non tumultuari, non vociferari, non insanire, non alicui reî damnum inferre. Illud igitur diui Pauli, tu lusus, aut aliud acturus, memoria tenebis: Omnis amarulentia & tumor, & ira, & vociferatio, & maledicentia, tollatur à vobis cum omni malitia.*

Quomodo ludus fiet alacrior? *Si cum imperitioribus certamen est, possisq; semper vincere, nonnunquam te vinci patiaris: si cum inferioribus, ibi te superiorem esse nescias.*

Quinam

Quinam ludi Musis sunt magis accommodi? *Delectamenta Musices, In cantionibus, & instrumentis musicalibus ingenium exercere.*

Debentne ludentes pueri, nummos, graphia, libellos, aut ligulas deponere? *Minimè. Quoniam ista res ad furtum aperit fenestram, & ad maleficia sollicitare solet animos pueriles.*

Estne pium, parentibus aliquid surripere, & dicere, non esse peccatum? *Impiissimum est. Vnde Salomon ait: Qui deprædatur parentes, & negat id esse peccatum, is socius est homicide.*

Pro qua re pueri ludendo certabunt? *Qui victus fuerit, pro pacti conditione, faciet imperata victoris: Aut conclavis verret pavimentum, aut manibus abluendis aquam adferet: aut aliquot iniuncta carmina recitabit: Aut ablegatus aliquò nuncius ibit: Aut ex pacto quod ictum fuerit, lappa coronatus inambulabit: Aut simile quippiam subibit.*

DE CIVILITATE
DE CUBICULO.

QVAESTIO PRIMA.

Vesperis cubiculum ingressus, quid puer aget? *Ad preces sacras se componet.*

Nec prius in dulcem declinet lumina somnum,

Omnia quàm longè reputauerit acta diei.

Quorum in cubiculo puer meminisse vel in primis debet? *Taciturnitatis, honestatis, ac verecundiae. Horum siue cùm exuat se, siue cùm surgat, nunquam debet obliuisci. Quod si fiet, nihil inciuiliter, nihil impudicè faciet, nihil aliorum oculis denudabit, quod mos & natura tectum esse voluit.*

In lecto quod decorum seruabit puer? *Priusquam reclinet corpus in cervical, frontem ac pectus crucis imagine signabit, breuèq; precatiuncula se Christo commendabit. Neminem enecabit, intempestiua garrulitate, Quietus iacebit, Corporis iactatione se non nudabit, nec sodali detractis pallijs molestus erit.*

Cubandi
ratio.

Quomodo cubabit puer? *Non pronus neq; supinus, sed primùm lateri dextro innitetur, brachijs ita transuersim complicatis, vt pectus muniat figura crucis, dextra manu sinistro ad-mota humero, leua dextro.*

Quid puer cùm manè se primùm erexit

xerit faciet? A precibus diem auspicabitur,
nihil faciet nisi prius pexo capite, lota facie ma-
nibusq; & ore proluto.

PERORATIO.

Habetis studiosissimi pueri, Ciuilitatem
morum Erasmi, in commodas (vt opinor)
questiones à me contractam. Quas si vo-
bis vsui futuras intellexero, satis auctori gratia vel
habitum vel relatum arbitrabor. Sin minus, per-
suasum habebò, venia dignum prodesse voluisse.

PRAECEPTA HONE-
STATIS, ATQVE DECORIS
puerilis, Autore Ioachimo
Camerario.

ALEA lucrosè si qua ludatur ab arte,
Materiam talos si quoq; scriptor habet.
Prælia carminibus veteres si ficta latronum,
Siq; duos scrupos, & docuere decem.
Si legimus præcepta tuæ damnosa Camænae,
Traditus exilij cui fuit autor Amor.
Tu quoq; Calliope, rerum decus, omnia reddens
Diua venustifico nomine pulchra tuo.

Inuocatio.

DE CIVILITATE

Tu quoq₃ ades felix, nostrog₃ faueto labori,
 Qui melius si non, at meliora canam.

Modestiam
 in doctri-
 nis requiri.

EST aliquid, mores pueros seruare probatos,
 Atq₃ his etati conciliare decus.

Quodq₃ decet, si sint videantur vt esse modesti,
 Omnia & aspectu sint speciosa suo.

QVID iuuat ingenuas didicisse fideliter artes,
 Quàm leuis est linguas gloria scire duas,
 Si non accedat vitæ cultura decoræ,

Nescio quo tantum res placet ista modo.
 Vidi ego multarum claros quos gloria rerum.

Virtutisq₃ bona fecerat arte labor,
 Ipsos dedecorig₃ sibi probroq₃ fuisse,
 In causa vitium moris inertis erat.

Heu mihi quàm vulgus generosi fallitur ortus,
 Duriciem laudi qui tenuisse putant.

Institutio
 Achillis.

At tibi Peliden iuuenem, iustissime Chiron,
 Non fuit his studijs erudijse pudor.

Ab quoties Pindi referentem vertice prædam,
 Seu leo seu ferrum tinxerat vrsa suum,
 Siue erat in dama telis iuueniliter vsus,

Cùm tibi quicquid erat poneret ante pedes.
 Non fuisti epulis agrestum immittere dextram,
 Quantumuis stimulos subijciente fame.

Sed prior & seruare modum, & seruare decorum,
 Res erat, & certa sumere lege cibum.

Quæq₃ iocis, licitisq₃ dabas sua tempora ludis,
 Namq₃ nec his rebus tempora nulla dabas.

Efficere

Efficere arbitrio moderando cuncta solebas,
 Hæc ut & ipsa forent non vitiosa tuo,
 Quid quòd naturam ut posses frenare ferocem,
 Quæq; sui nullum sciret habere modum.
 Flumine Castalidos conspersa virescere fontis
 Iussisti, & pulchrum gignere corda decus.
 Sic neq; rusticitas te læsit regia virgo
 Nescia fœminea veste latere virum.
 Hunc etiam arte boni captam Lyrnesida moris,
 Credibile est aliqua demeruisse sibi,
 Illa & præcones inter duo iussa venire,
 Ad regem lento dicitur isse gradu.
 Credite compositi res est pulcherrima moris,
 Turpius inculta rusticitate nihil.
 Sed nisi dum tenerū est æuum discuntur & anni,
 Postmodo nulla potest cura docere senes.
 Quare ades, & si cui placet, huius percipe laudis
 Quæ præcepta artis nos tibi prima damus.
 Principio quem vera parùm delectat honestas,
 Spurcæq; cui potius verbaq; resq; placent,
 Iste procul nostris monitis, procul esto profanus,
 Virtutis cupidis scribimus illa sacra.
 Flagitijs alibi multus patet vndiq; ludus,
 Balnea, caupona, lustra, culina, tori.
 Hæc est virtutis schola, primùm dura, sed alta
 Grata habet ex imis culmina summa via.
 Hinc etiam est factus qui post Alcida fuisti,
 Quando tibi Libyci cessit Atlantis onus.

Nam

DE CIVILITATE

Nam satus Amphitryone puer dum fortè per aestu,
Iuxta Asopeas dispaciatur aquas.

Qua se discerpti tollunt iuga conscia Penthei,
Oppida vbi rubro stant Hysiea solo.

Virginei geminas facies se protinus oris,
Contra directo cernit adire gradu.

Voluptatis
effigies. Quarum purpureis splendebat vestibus vna,
Aurea tota pedes, aurea tota caput.

Vultus perfusum referebat lacte cruorem,
Albave sanguineis lilia mista rosis.

Pendebant digiti gemmarum pondere lassi,
Colli erat in grauido torque smaragdus opus,

Néve sui cultus alios pars vlla lateret,
Ibat adornato lentius illa gradu.

Ardua ad à tergo reflectens colla sequentes,
Inq₃ vmbra figens lumina sepè suam.

Virtutis
forma. ALterius crinisq₃ habitusq₃ in corpore simplex,
Inq₃ color vultu non alienus erat.

Ipsa verecundo decorabant lumina motu,
Compositum mundo corpore ritè statum.

Quaeq₃ erat ingenuae mentis candoribus apta,
Induerat niuea libera membra stola:

Illa vt erat verbis audax, vultuq₃ proteruo,
Prima dedit tales ore procace sonos:

Voluptatis
oratio. ALCmena formose puer mea iussa capesse,
Et benè fac vitæ dum licet vsq₃ tuae.

Néve tuos seuis præcerpe laboribus annos,
Vtq₃ diu possis viuere, viue benè.

Dux

Dux ego diua viam, quam iussi incedere, pandam,
Hæc est purpureis consita tota rosis.

Vtq; scias, quæ sim, nomē mihi, Blanda voluptas,
Omnes me sanctè Diq; hominesq; colunt.

Hæc est delitium, famulas monstrabat, & hæc est
Edita spumanti Cypria diua mari.

Quid memorem reliquas? An cui Cytherea mini-
stra est

Scilicet, hanc dubitas Hercule parue sequi?

Viue tibi speciose puer, vitamq; suauem
Redde, quibus poteris reddere cunq; modis.

Sic ait, Alcidaq; amplexu colla petiuit.

QVID facis ô meritis afficiende Deus,

Quid facis exclamat, quæ viderat altera, Lau-
dis

Oratio vir-
tutis,

Ah quantas segetes proteret ista tuæ.

Hæc est, si nescis, patranes cuius ocelli

Nullius esse diu fortia corda sinunt.

Perdidit ista prius Reges, vrbesq; beatas,

Viuere si non vis, huc periture veni.

Nam simul vt vacuas animū exhalarit in auras,

Hanc quisquis seqditur nil super huius erit.

Nec te decipiat, quæ prima est semita mollis,

Me miseram quorsum semita mollis abit?

AD me igitur mihi chare puer concede, Deusq;

Incipe pollicitis cœlifer esse meis.

Scire cupis quæ sim? Quæ sim tibi nomina dicent.

En assum Virtus, Amphitryoniade.

Quæ

DE CIVILITATE

Quæ prius innumeris ornavi sydera Divis,
 Per quoq; me regnum Iupiter ipse tenet.
 Sed neq; pelliculam curant mea signa sequentes
 Delicias, metam nec posuere sibi.

Ipse pater statuit me duros ante labores,
 Quoq; petor plenum est asperitatis iter.

Cum tamen euctis ventum est ad summa salebris,
 Iam facilis, quamvis antè molesta, vita est.

Premia nunc audi, tangunt quoq; premia Divos,
 Te sibi erit generum cum Iouis vxor emet.

Dixit, & adductum modico conamine dextra
 Alcidem æterno iunxit amore sibi.

Is quoq; non tenues accepit pectore flammæ,
 Nec nisi Virtutis suscipiebat opus.

Ergo etiam multi, si vera est fama, magistri
 Iussu animos teneros erudiere patris.

Castorq; Harpalycusq;, Linusq; Philammoni-
 desq;,

Vsq; adeo totum fecerat illa suum,

PRÆ cunctis igitur laudem Virtutis amabis,
 Quæ veluti dici, sic facit esse bonos.

HVIS opus primum est, cæli terræq; paren-
 tem

Pietas in
 Deum,

Voce animoq; simul conceleberrare Deum.

Quod sumus hoc autore sumus, qui cuncta crea-

Quiq; creat a manu cuncta potente regit. (uit,

Ille potest nostris successus addere rebus,

Iratusq; potest maxima damna dare.

Ergo

Ergo hunc quicquid ages, casto venerare timores,

Vnde salutifera fons fluit ortus aqua.

Nec prius ad tibi propositos accede labores,

Quàm laudante Dei voce precatus opem,

Formam cuiq; suam poterit dictare magister,

Propositi non est ista docere mei.

Sic tamen exurgens discusso manè sopore,

Commendare Deo te studiumq; potes.

Nunc iterum nos iucundam das cernere lucem,

Eq; pater tenebris sancte videre diem.

Nox abiit, splendor circum se tollit Olympum,

Stellaq; vicina prævia lucis adest.

Et nunc rara nitent, Phœbea lampade pulsa,

Quæq; nitent modicum sydera lumen habent.

Iam nos è stratis exciuit mollibus ales,

Que tacitum nullum tempus abire finit.

Ergo ad consuetas operas studiumq; redimus,

Nostraq; iam recipit pensa diurna manus.

O pater vsq; tua præsens ope sancte governa,

Quod sumus, & quod mox aggrediemur opus.

Et fac ingressum nos sic decurrere solem,

Laudis vti simus pars quotacunq; tue.

Sic lucem incipiens sanctum præfare timorem,

Atq; ita, vel simili vespere claude modo.

IAM Phæton teos ignes pepulere vnebra,

Fumantesq; egit sub mare Phœbus equos.

Vmbra iam faciunt equalia cuncta videri,

Omni in rebus cùm color vnus inest.

Lucibus

Precatio
matutina.

DE CIVILITATE

Lucibus exiguis tantum nox atra nitescit,
 Plurima qua tremulo lumine stella micat,
 Aurea gemmati temones plaustra reducunt,
 Iamq₃ moues segnes tarde Boota pedes.
 Ipseq₃ fulgentes humeros ostendit Orion,
 Atq₃ vno pressam sub pede calcat humum.
 Ibimus hinc solito capturi tempore somnum,
 Ut renouet dulcis languida membra quies.

Vespertina
 precatio,
 O pueri vera condemur imagine mortis,
 Quisq₃ Dei casta voce precemur opem:
 O pater hanc noctem, ne quo perdamur ab hoste,
 Auxilio firma praesidioq₃ tuo,

Cunq₃ sopor fessos studijs recreauerit artus,
 Lumina da letum cernere nostra diem.
 Atq₃ ita seu capient nocturnam membra quiete,
 Siue die iussum perficiemus opus,
 Esse tuos semper facias, semperq₃ manere.
 Haec pater est nostra summa caputq₃ precis.

PRIMA Deum res est coluisse, secunda parentes,
 Et si qui horum alij pondus & instar habent.

His obseruatis, merito veneramine cunctos,
 Cana quibus barba est, esse putat opatres.
 Illis cede loco, & consuetum defer honorem,
 Vertice seu nudo, siue cadente genu.

Namq₃ imbecillis quae per se non sapit aetas,
 Instruitur cura praecipiente senum.

Illis emersi iam longi temporis vsu,
 Et sapere, & reliquos posse docere dedit.

Deinde

Deinde tuis studijs aequales delige, & illo

Quo tibi quos iungit sanguis, habeto loco.

Hos neq; mendaci, nec vero ledito dicto,

Irruptamq; tene semper amicitiam.

Nec tibi sint cordi lites, certamina, rixae,

Sed veneranda quies, ingenuusq; pudor.

SEPibus inclusit linguam natura duabus,

Garrulitas,

Ne sit in expensi prompta loquela soni.

Vix vnquam tacuisse nocet, nocet esse locutum,

Est sibi qui accersit garrulitate necem.

Scire loqui laus est, laus est quoque scire ta-
cere,

Illa magis pulchra est, haec quoq; pulchra ma-
gis.

Hinc ne verborum plus fac quam postulet vsus,

Atq; odiosa caue sint ea si qua facis.

Aera putant nosci tinnitu, pectora verbis,

Sic est, namq; id sunt vtraq; quale sonant.

Quod Thersita feris lacerabas dentibus omnes,

Planxerunt tergum regia sceptrum tuum.

Quiq; luis poenas, fugitiuis mersus in vndis,

Incastigata crimina vocis habes.

IN studijs virtus pacis quos educat alma

Iurgia sit valida tollere voce nefas,

Iurgia,

Qui vis esse bonus, tales vitato furores,

Fax parui ingentis saepe fuere mali.

Hac est carniuorum tristis natura ferarum,

Tene studes sauis assimilare feris?

DE CIVILITATE

PRAECIPUE quadam cum dantur tempora ludis,

Absint permissis dicta cruenta iocis.

Si puer in ludo mentem Patrocle domasses,

Non foret aequalis causa pudenda fuga.

Quare age forma mouet sensus si cuius honesti,

Consona sint placidis facta pudica sonis.

Obtrectatio,

FOEDIVS at multo est absentum rodere famam,

Et viridi tinctos spargere felle sales.

Alba quibus gelidae circundant corpora stella,

Debuerat similis mentibus esse color.

Sed quibus illa nitent iam plus quoque quam sit honestum,

Ah animis candor quod propè nullus inest,

At quondam dum vita fuit, cultusque seueri,

Vt memini effoetum dicere saepe patrem:

Si quis in absentis faceret conuitia nomen,

Omnibus inuisus coetibus exul erat.

Cur tua non prius insipiens peccata reuisis,

Cernere praequam illis cur aliena iuuat?

Nec trutinæ potius pensas examine iustæ,

Quid tibi sit factum, quid tibi preteritum:

Quidque domi restet propriae vitæve bonæve,

Vt docuit Samij regula prisca senis.

QUICquid ages nolis latuisse, & quarere noctem,

Obtendi factis turpibus illa solet.

Quodque

Quodq̄, ferunt quendam iussisse olim sapientem,
Viuerē sic, vt te viuerē nemo putet.

Hoc alio inueniatq̄, loco, atq̄, in tempore laudem,
Tu quod ages alios fallere velle caue.

Nunquam animus sceleris nullius conscius odit
Vlla sua in clara facta patere die.

Nunquam flagitij sceleratiq̄, vllius ausus,
Corda queunt lucem conscia ferre sibi.

QVOD tua non refert, ne sit cognoscere cura, Curiositas
Neu percontator scire aliena velis.

Præcipuè turpe est captanti sublegere aure,

Non rei dicta tua, facta notare oculis.

Sunt obscœna loqui quibus haud turpe esse vide- Obscœni-
tur, tas,

Inq̄, iocis aliquid laudis habere putant.

Crede mihi solito mores sermone notantur,

Et facere illa iuuat, dicere si qua iuuat.

Quàm benè senserunt gens veracissima Persæ,

Turpia patraturū cum vetuere loqui.

Quàm mala sunt castæ mentis documenta Ca-
tulle,

Turpia versiculis condere facta suis.

Nil ausis igitur fari quod non sit honestum,

Quodq̄, animus facinus iudicet esse malum,

Quin fieri quæ rectum est, sed sine teste, caueo

Indicio linguæ prodere facta tuæ.

Quid si cui fallax suggurgitet alea nummos,

Aut stolidum reddant plurima vina caput?

DE CIVILITATE

Talia non nostris ego castigabo libellis,
Talia nec decoris crimina ludus habet.
Sed nil tam turpe est, quod non mendacia vincant,

Mendaces aiunt furibus esse pares.
Cuius falsiloquis lingua est exercita verbis
Innumeras messes improbitatis habet.
Nil erit huic nimium dictu, factive scelestum,
Qui sapias hunc morum doctor abire iube,
Atq; ita mens primis rudis informetur ab annis,
Qua spes neglecta qua superesse potest?

Gestus. CORPORIS accedat tamen huic quoq; gratia
cultu,

Ergo sit in vultu luminibusq; decor.
Siue manum profers, gestu proferto modesto.
Siue astas, noli sapere mouere pedes.
Intuitum rectum teneas, oculos nisi si qua
Causa verecundos figere coget humi.
Incessus neq; sit properatis gressibus asper,
Sit neq; foemineo mollis inersq; gradu.
Sic sedeas, curuum ne reddat sessio corpus,
Et tua ne gibbos terga supina trahant.
Parua quidem res est vestis, sed veste notari
Qui dicunt animos, dicere vera solent.
Quare & communi & consueto more paretur
Indusium, tunica, pilea, lana, toga.
Oderis & sordes, placeat seruata venustas,
Sordidus est nunquam ludis amator homo.

Non

Non ego te mollem iubeo muliebriter esse,
 Quae iubeo forti sunt quoq; digna viro.
 In verbis igitur pudor, inq; modestia gestu,
 Si sit, munditiem conuenienter ama.
 Pexus vt extrema labatur ab aure Capillus,
 Oraq; suffusa manè rigentur aqua.
 Vt niteant palmae, careant squaloribus Vngues,
 Vnda datur gratis, saepè lauato Manus.
 Ne pituitoso distillent phlegmate Nares,
 Ergo tuo semper lintea fertu sinu.
 Ne madido rigeat coena oblita calcis aluta,
 Sint sine quisquilij pilea labe toga.
 Nunc vbi praecipuè, quod pulchrum est cernitur,
 edam,

Inter quid deceat, quid malè, sacra dapum,
 Ac iam dehinc rimis, fluuiog; auraq; secunda,
 Incita per liquidas cimba natabit aquas.
 Principio, praesens si fert occasio rerum,
 Dic aliquis claro taliter oro preces:

HAEC tua sancte pater diuina munera dex. Consecra-
 tra, tio:

Quae das, paruo iterum des iterumq; gregi.
 Per te sublimes spectamus sydera vultu,
 Per te agit aethereus corpora nostra vigor.
 Per te praeteritos feliciter egimus annos,
 Quod superest, per te fac benè tempus eat.
 Sic vt praecipuè te casta mente colamus,
 Aeternumq; Deum propitiumq; patrem.

DE CIVILITATE

Vtq̄ tuum nullus peruertat casus amorem,
Duret amor, mistus duret amore timor.
O pater igne tuo pueriles vre medullas,
Te præter sapiat mens nihil, ora sonent.
Excipiat nostræ cursus tua gloria vitæ,
In laudes studium desinat omne tuas.
Hæc est summa pater voti sanctissime nostri,
Cætera sollicitos nunquam habuere nimis.
Tu tamen & vestes nobis victumq̄ ministras,
Et quibus hæc alijs tempora rebus egent.
Quæ nondum gnaris quærendi suggeris vltro.
Nullus erat nobis ista parare labor.
Néve quis addubitet, promissa fideliter addis,
Promissa exemplis nobilitata suis.
Nostros ergo animos leuis horum cura fatigat,
Stulcè sollicitos de quibus esse vetas.
Hæc dabis, illa preces vt des pater, accipe no-
stras,
Vtiliter tantùm nos ale sancte tibi.
AT iam sedataq̄ fame mensisq̄ remotis,
Fac laudes memori pectore gratus agas.
Has cupiam Isaida sumi de carmine Regis,
Nostrum etiam exemplum, cui placet istud,
habes,
Quisquis es in quacunq̄ manes regione locoq̄,
Et quacunq̄ tuæ nomina gentis habes:
Seu tibi primus adest rediuiuo lumine Phæbus,
Lotus ab æquoreis conspiciendus aquis.

Sive

Siue vides labi postremum in Thyros vndas,
 Sequi agere ante diem, post tenebrasque sequi.
 Aut latere in laevo mundi dextrove locatus,
 Inde calore frequens vreris, inde gelu.
MENTE Deo laudes cessas quid dicere voce?
 Ore, animo cunctos hunc celebrare decet.
 Nam pater est, & nos auditque videtque benignus,
 Et fouet imposita vulnera nostra manu.
 Subleuat iste graues qua mansuetudine casus?
 Quicquid agit, nihil hoc mitius esse potest.
 Ecce cibum quem nos nunquam quaesiuimus, of-
 fert,
 Et vitæ ignaros veste domoque tegit.
 Atque hac non mutanda Dei sententia constat,
 Quæ se huic credentem posse perire negat.
 Ergo simul lenis pater est, veraxque bonusque,
 Protegit hic, quis nos quem metuamus erit?
 Nec sibi pro tantis meritis quicquam ille re-
 pendit,
 Quam benefactorum commemorasse iubet.
 Namque aliud nihil hic vnus qui cuncta creauit,
 Quam grati laudes cordis & oris amat.
 Talia si qua negant manifesta dicere voce,
 At tacita secum voluere mente licet.
 Nam si quis nugas pueriles hæc modo censet,
 Fallitur, & veræ nil pietatis habet.
 Nunc spacio egressos retrahant vaga lora iugales,
 Ut teneat currus orbita recta meos.

DE CIVILITATE

Primum sunt quæ summa putant fugienda loco-
rum,

Non omnes eadem summa putare solent.

Sed quacung₃ tene paucis præfatus honorem,

Seria primorum quæ tibi iussa dabunt.

Jamq₃ premes leuibus mollita sedilia plumis,

Ergo fac vt bellè compositeq₃ premas.

Quæ te sortita est, maneat in sede quietus,

Neu stolidè dictu, membra pudenda moue.

Néve caput iacta, non fauces differ edendo,

Néve tibi lingua tinsa palata sonent.

Ante manus te pone tuas, Nec calcibus infrà

Aut strepitum, aut fœdum corporis ede fla-
tum.

Inprimis quocung₃ manus protensa feretur,

Illò conueniet lumina ritè sequi.

Non benè directa, planè est insania, dextra,

Versa per effusum pocula nare merum.

QVI satis est panis frangatur, ne tibi detur

Reliquijs vitio particulata Ceres.

Mergetur nitido quoties tibi dextra catillo,

Opposita verrat frustula parte caue.

Dedecus est censere dapes, mutareq₃ sumptas.

Palpantiq₃ diu detinuisse manu.

Quare cultrigera ne subrue fercula dextra,

Sicut aper letos depopulatur agros.

Nec pro te grandes epularum construe moles,

Sed tibi sortè datas arte decenter ede,

Deq₃

Deq̄ his relliquias sectis imposito quadris,
 Seu sint ossa tibi, seu tibi spina super.
 Vidi aliquem strata cultellum infligere mensa,
 Et dixi: mores non habet iste bonos.
 Vidi etiam madidum cultro qui raderet orbem,
 Et dixi, quàm non quod decet, iste facit.
 Est vitium, in patina longùm si dextra moretur,
 Dentibus est vitium dilaniare cibos.
 Turpe quoq̄ est vltro meliores carpere partes,
 Nec caret hoc fœdæ suspitione gulæ.
 At crebro digitos quem lambere non pudet vdos,
 Debuit in fellis tingere iure manus.
 In quadra multum si sit tibi relliquiarum,
 Urbani credas moris habere parum.
 Interdum mansus dentes cibus inter adhaeret,
 Si ferro extimules, dedecus esse puta.
 Iam primam in patinas vitiosum immittere dex-
 tram,
 Matre scit, & vitat quisq̄ docente sua.
 Ad madidum sputare cibum, fœdareq̄ vestes,
 Ecce Scythis probrum Massagetisq̄ puto.
 Est cibus in mappam tremulo cui decidit albam,
 Est cui semihastus defluit ore liquor.
 Est madidum Cereris tergat qui segmine cultrū,
 Hæc nimium explosæ rusticitatis habent.
 Ius aliqui & pultem calidam, sed turpiter, af-
 flant,
 Phyllis vt hesternum rustica manè focum.

DE CIVILITATE

Quis feret appositas avidū, tanquam velit omnes
Deglutire dapes, accumulasse dapes?

Quid gula quod non est sic exaturanda quibus-
dam,

Vt rapiant alios qui iacet ante cibum.

His ego ne in nostris ponam præcepta libellis?

Ponam si catulos instituisse velim.

Retrò aliquis curuam cervicem flectit edendo,

Fauceq; sublato captat hiante cibos.

Multi epulas veluti fugitivas ore sequuntur,

Hæc adversa scias moribus esse probis.

Ergo decet tenuisse modum, tenuisse decorum.

Nec lentum esse nimis, nec properare nimis.

Bibentis
vitia,

Qui potet tanto videas molimine, fuso

Vt præclusam animam penè liquore necet.

Sic igitur postquam latices exhausit, anhelat,

Vt solet æstivo pulvere fessus equus.

Quid quod ego quosdam vidi lachrymare biben-
tes,

Cùm nihil hoc vno fœdius esse queat?

Non ut edas tacitus iubeo, nec multa loquentem,

Nemine materiam suppeditante, feram.

Nam sermone forum rabulam complere licebit,

Esse silens nocti creditur apta quies.

Inter utrunq; modum laudis studiose tenebis,

Pulchro res non est pulchrior vlla modo,

At tabulas hilares, sed non decet esse procaces,

Laus etiam ad pulchrum pertinet ista modum.

Atq;

Atq; vtinam nostra doctos videamus ab arte,
 Non nimiumq; leues, non nimiumq; graues,
 Heu mihi rugosa sedeas si fronte seuerus,
 Nec fugias ductis cogere labra plicis.
 Aut immaturo dentes rictumq; cachinno
 Diducas, rabidi more furente canis.
 Spartano legum narrant latore carere
 Supplicio, incestis qui iacuere toris.
 Quod qui tale scelus facerent, non esse putarit,
 Nec sit ignotum pœna statuta malum.
 Nec crepitus ego, nec ructus, vesanaq; gesta,
 Nemine quis faciat quæ prohibente? veto.
 Ah nares intus malè reddunt sepè retentam
 Spiritum, vt imbriferis nubila pulsa Notis,
 Dicas inflatis exciri follibus ignem,
 Sedulus vt cudat nigra metalla faber.
 Vt semel ergo scias, nutus, suspiria, risus,
 Editaq; obstrepera murmura voce tene.
 Urbani est etiam, ne cum bibit vnus, vt alter
 Admoueat labris pocula, moris. Et hoc:
 Non super obtusum digitos imponere cultrum,
 Ne fiat, fac sit culter acutus. Et hoc:
 Ne scindens Cereris, secet vt si robora quercus,
 Sistat in obluctans fragmina pectus. Et hoc:
 Ne dextram in liquido, tenuē dum perluis offam,
 Quæ benè res sanè est rustica, iure laues,
 Ergo prius frustum panis mucrone refixum
 Humecta, ac ori postmodò subde manu.

Nam,

DE CIVILITATE

Nam, quanquam hoc aliqui faciunt, tamen improbo, cultri

Confossum ferro carpere dente cibum.

At qui pramorsum patinae indit, debuit inter

Cœniuagas bolos furfuris esse sues.

Qui bibis, inq̄, cauo retines semesa palato

Frustula, scis omni rusticus esse modo,

Sunt alia, & sunt parua magis quàm vt religiosè,

Cætera si teneas, præcipienda putem.

Secundi ac
ministran-
di ratio.

Sic tamen obseruant, ne partas flumine prædas,

Neu leporis pulpam dissecuisse velint.

Qui malè diuisit captarum terga ferarum,

A tumida risum Nobilitate ferat.

Verùm hæc vt faciant operã dent singula fas est,

Quæritur hac vna gloria parte quibus.

Quive est virgineæ laudis vulgariter auceps,

Occupet indigna se leuitate viro.

Hæc verò mensæ, & vitæ præcepta probatæ,

Qui bonus esse studes inuiolata tene.

Nec tamen in paruo sunt omnia dicta libello,

Dicta ea sunt, quæ sit præterijisse nefas.

Est q̄, aliquid reliquum tanquam de diuite messe,

Spica q̄, frugifero plurima rure manet.

Plura alij tradent, res ipsa q̄, plura docebit,

Discere fac si quis vult, docuisse velis.

Præcipue q̄, tuis fac morigerere magistris,

Quos tibi cunq̄, patrum prouida cura dedit.

Pet

Per se nemo sapit feruens puerilibus annis,
 Sed se iudicio quisq; regentis aget.
 At malè mercedes hodie gratesq; reportant
 Doctrinam mentis turba professa bonæ:
 Quid quòd sunt quidam sic corde & pectore casti,
 Ingenij vt cultum sit didicisse pudor.
 Aiebant quondam: frustra nunc discere quærunt,
 Cùm precium nemo persoluisse velit.
 At benè nobiscum qui iam profiteamur agatur,
 Artibus ingenuis si modò constet honos.
 Et sint qui cupiant virtutem discere gratis,
 Heu mihi virtutem dedecus esse putant.
 Ergo est in precio diues mercator, & audax
 Miles, honestatis fama q; laus q; iacet.
 Vtraq; res integra quidem laudanda videtur,
 Sed qualis nunc est, vtraq; laude caret.
 Disciplinam vtinam veterum teneamus auorum,
 Iis solida tantum sit feritate minus.
 Aut datus his fato doctrinæ accederet vsus,
 Vt foret hac virtus horrida parte minus.
 Quanquam erat immenso satius, sit vt horrida
 virtus
 Pristina, quàm virtus quòd modò nulla ma-
 net.
 VOS igitur Deus ô pueri, quos lumine dextro
 Respicit, ac omni prosperitate beat.
 Concessa vtimini felici tempore sorte,
 Quis scit an eripiat, quod dedit ille bonum.
 Cumq;

DE CIVILITATE

Cumq³ sit ingenijs iuuenilibus insitus error,
Dum licet hunc omnis sit pepulisse labor.
Post neq³ tempus erit, nec erunt fortasse magistris
Quisq³ sua properet commoditate frui.
Quanto diuitijs virtutis gloria prestat,
Sint alij dites, vos bona fama beet.
Auditum non est vnquam ad saccum esse reda-
ctum,

Cordata fuerit qui probitatis amans.
Sed nec equus freno indomitus parere recusans,
Tollet Olympiaca premia victor humo.
Nec preceptoris puerum impatentia corda,
Virtutisq³ preceps ingredientur iter.

Quapropter nostris Salomonis clausula scri-
ptis

Apposita, exiguum terminet ista librum:
Qui vitæ precepta puer non discere curat,
Stultus is est, pœnas stultitiæq³ dabit.
Nanq³ suum poterit nunquam oblectare paren-
tem,

Et faciet matri sepè madere genas,
Ipse sibi tamen in primis damnumq³ malumq³
Concilians, mortis scilicet autor erit.
His equidem & quandam doctrinæ adiungere,
quamq³

Vtile discendo sit tenuisse viam.
Cæperam, & in tenui quædã perscripta papyro,
Post monita hæc morum, conuenienter erant.

Sed

*Sed melius, si quidem faciendum hoc esse putabo,
Versiculis aliàs exequar illa meis.*

*Interea his opera quicunq; iuuabere lectis,
Ingenuo grates ore fatere, mea.*

IOACHIMI CAME-
RARI PRÆCEPTA VITAE PVERI-
lis in quæstiones redacta, & non-
nullis in locis locupletata, Per
Reinhardum Lorichium
Hadamarium.

Argumentum huius opusculi.

*Altera de studijs, de moribus altera nostri
Sunt præcepta breuis clara futura libri.*

DE STUDIIS, QVÆSTIO
PRIMA.



D quotnam res conducere
debet institutio scholastica?
RESPON. Ad duas potissimum:
Ad doctrinam parandam & vir-
tutem capessendam. Nam si stu-
dijs scholas prodesse, moribus autem constaret no-
cere, tum potior honestè viuendi ratio, quàm opti-
mè discendi videretur, vt ait Quintilianus.

Quid

DE CIVILITATE

Quid igitur pueris studiosis præcipue curandum erit? *Vt non modò conspicui doctrina, sed etiam bonis moribus euadant exculti, vitæ melioris exactores strenui futuri.*

Cur ingenuis artibus opera tanta solet impendi? *Quia morum & honestatis, totiusq; virtutis rationem atq; disciplinam tradunt. Hinc Ouidius rectè scribit, inquiens:*

Ingenuas didicisse fideliter artes,

Emollit mores, nec sinit esse feros.

Ciuilitas.

Quænam artis vitæ morumq; sunt exordia? *Vt omnium disciplinarum sunt initia quedam, sic artis vitæ atq; morum quasi vestibula quædã est ea putanda, quæ ciuilitas & elegantia seu moderatio dicitur, ipsum planè decus, & pulchritudo virtutis, qui tanquam flosculi in ætate puerili radiant, & quò magis eminent, tantò suauiores esse consueuere.*

Quotuplex habetur institutio? *Duplex.*

In quibusnam rebus prior eius pars consistit? *In literis ad vitam placidè, inq; ocio ac quiete degendam, cum virtutis & innocentie cultu.*

Quænam requiruntur ad hoc ipsum vitæ genus? *Parta quæ sitaque res, quæ vitæ sic degendæ sufficere posse videatur. Quæ si fortè copiosa amplaque non sit, sufficiat tamen optimis imbu-*

imbuto praeceptis temperantiae, parsimoniae, patientiae.

Cur hisce temporibus literarum studia, virtus item ac honestas non magni fieri, nec valde preciosa videri solent? Propterea, quod potentia & opes, superbiaque harum affectatrix inualuit, & aequalitatem atque modestiam oppressit. Et ut Propertius ait: *Luxuriae nimium libera facta via est.*

Cur multo maiore diuitiarum, quam studiorum amore flagrant homines? Quoniam, ut proverbio dicitur, pecunia obediunt omnia. Et virtutem atque sapientiam vincunt testudines. Ut Horatius non sine causa pecuniam appellauerit *Reginam*:

Scilicet uxorem cum dote, fidemque & amicos,

Et genus & formam, Regina pecunia donat.

Cur diuitiae dicuntur iniustae? Non quia Diuitiae, aurum & argentum iniustum sit, sed quia iniustum est eas putare diuitias, quae non meliorem animum reddunt, nec auferunt egestatem auaritia, ut ait D. Ambrosius super Psal. 2. *Beati immaculati.*

Quae verae sunt diuitiae? Non quae malorum irritamenta sunt, opes, quarum gloria fluxa, sed fructus studiorum, virtutes, quas secum conscientia portat, ut in perpetuum diues fiat. Ea

G verò

DE CIVILITATE

verò bona Bias ille Prienensis dicebat, non in oculis visenda, sed aestimanda animo, ut ait Valerius Max.

Quænam est altera pars institutionis? Ea est iuventutis ad vitam communiter, & pro seculi sui natura transigenda in honorum, publicorumq; munerum vsurpatione, vel in prophanitate, vel religione.

Virtutis
via,

Quidnam studiosi consequuntur ingressi virtutis viam? Plurimum laudis & utilitatis, non modò sibi, suisq; sed etiam alienis conciliant.

Quisquis enim duros casus virtutis amore vicerit, ille sibi laudemq; decusq; parabit. At qui desidiam luxumq; sequetur inertem, Dum fugit oppositos incauta mente labores, Turpis inopsq; simul miserabile transiget ævum.

Qualis est via virtutis? Aspera nimis & arcta.

Nam via virtutis dextrum petit ardua callè, Difficilemq; aditum primùm spectantibus offert.

Sed requiem præbet fessis in vertice summo.

Vitiorum
iter.

Quale vitiorum est iter? Planum atq; nimis tritum.

Molle ostentat iter via lata, sed vltima meta Precipitat captos, voluitq; per ardua saxa.

Quoniam

Quonam tempore studia neglecta iacuerunt, ac habita despectui? Barbaro seculo, quo ridiculum quendam ad modum depravata studia, non solum non erudiebant cultores suos, sed naeta saepius ingenia non infelicia corrumpabant, ut probro sit versum, studuisse literis.

Quid facere solent impuri literarum cultores? Cum per scelera non poterunt amplecti virtutem, ad eam vitam prolabuntur, in qua ferociam, audaciam, impudentiam intelligunt plurimi fieri. Qui procul à literarum sacrario profligandi sunt. Nam si quis, omisis rectissimis atq; honestissimis studijs rationis & officij, consumit omnem operam in exercitatione studiorum, is inutilis sibi, perniciosus patriæ civis alitur, ut ait Cicero.

Quisnam ad facinorosos studiorum humanitatis prophanatores atq; transfugas adhærescit? Nemo honestatis amator. Omnis enim qui sanæ mentis est, declinabit improbos atq; sceleratos illos studiorum contaminatores, non aliter atq; feras bestias.

Quid pij faciunt bonarum artium affectatores? Magna cum cura custodiunt tanquam pudicæ virgines, castitatem studiorum, & à superiorum temporum erroribus reducta, conseruant syncera & immaculata, neq; cōmittunt leuitate sua, ut vllius turpi cupiditati ancillētur.

G 2 Red-



DE CIVILITATE

Reddunturne animi literis exculti, minus idonei publicis functionibus, aut muneribus obeundis? Non metuendum, ne parum aptus futurus sit puerilis animus, vera ratione, literis, & moribus institutus, ad quamcunq; professionem, & artem faciendam.

Quando puerorum ingenia discernenda sunt, & perspiciendum, quibus rebus nata videantur? Vbi primùm adolescere, & quasi confirmari etate cœperunt, ad cuius visum fuerit professionem artis, aut cuiusque generi vitæ puerum applicari oportere, cum eorum sententia, quorum potestati erit subiectus, tum de ipsius natura & indole, eo etiam per hæc communia studiorum & vitæ præcepta sensim induentur.

Quisnam poterit ingenia puerilia discernere? Docendi peritus, ut Pythagoras, qui à principio adolescentes, qui sese ad discendum obtulerant, ἐφυσιογνωμόνους, hoc est, per indicia naturæ pensiculabat, & mores naturasq; coniectione quadam de oris & vultus ingenio, deq; totius corporis filo, atque habitu suscitabatur.

Quodnam est præcipuum puerilis ingenij signum? Memoria, duplicem habens virtutem, utpote, facile percipere, & fideliter continere. Proximum imitatio.

Quisnam

Quisnam puer spem indolis bonæ præ se fert? *Quem laus excitat, quem gloria iuuat, qui victus flet, quem deniq; mordet obiurgatio.*

In quibus est nulla spes ingenij? *Qui pistillo retusiores, corpus habent sine pectore, caput sine cerebro. Qui millies inculcata, non percipiunt. Quos, vt Gallum Aesopicum, tritici granum magis oblectat, quam inuenta res omnium preciosissima, hoc est, studia literarum atq; virtus. Qui deniq; nihil habent ex quinq; sensibus, qui propriè tantùm homines esse dicuntur, sed ex illis plurimum, qui soli sunt hominibus communes cum bestijs.*

Quid in scholis prælegente magistro pueri facient studiosi? *Diligenter & attentè audient prælegentem magistrum, & animis avidis accipient dictata, reponentq; sensibus imis. Assuefacient etiam ora sua ad rectitudinem lectionis, & pronunciationis, cum literarum tum syllabarum, ad exemplum prælegentis.*

Quid in pædagogijs faciunt Archadici (quod aiunt) germinis in adolescentes? *Supini & oscitabundi torpent, & tanquam hospites in scholis versantur, corporibus quidem inutilibus præsentibus, sed animis peregrinantes. Quibus fornix (vt Horatius ait) & vncta popina incutiunt desiderium, non literarum, sed patinarum.*

DE CIVILITATE

In quonam præcipuam in scholis operam ponent ingenui pueri? In hoc, ut quoad eius fieri possit, vernacula lingua, & oris vitia corrigantur.

Quomodo ea, quæ prælecta sunt aut dicta pronunciabunt? Quæ iussi erunt siue ex libro recitare, seu reddere memoria, ea dabunt operam, ut liquidè, distinctè, clarè, pronuncient, non obruentes alias voces alijs, neq; confundentes textum, lacerantèsve filum orationis.

Quid in pronunciando præcipuè cauebunt? Ne ultimis, id est, terminalibus syllabis, literisq; dictionum, dehiscente palato, sonus intercidat, quo peruersius fieri quicquam nequeat.

Quanam ex causa vitium hoc in recitando pueris accidit? Erroris metu, cum non probè comprehenderunt certas vocum inflexiones.

Quid igitur à lectione proximum erit elaborandum? Ut benè & disertè omnes voces, quarum terminales syllabæ in alios atq; alios fines declinantur, flectere pro vniuscuiusque natura discant.

Quid postea faciendum pueris? Simul etiam describere ipsi, & effingere literas tentabunt, & exprimere sermone casto.

Quid

Quid inter prælegendum? Si qua sententia memorabitur, si quod præclarum dictum, si splendida vox exponetur interpretatione magistri, notabunt diligenter, cum intellectu suo apprehendentes, tum excipientes chartulis.

Quidnam vehementer ornat in ludo sedentem puerum? Nulla res magis, quam proposita charta, & in dextra eminens pennula.

Quid sine charta, pennaq; faciunt in ludis pueri? Quod in officina sua fabri sine malleis, quod in culina coqui sine cultris, quod in purpura simia, quod in agro surculario caprae, & quod in balneo canes.

Quid ingeniorum verè nobilium pueri solent in scholis cogitare? Nihil humile vel sordidum, sed omnia generosis animis congruentia meditari, utpote qua ratione feliciter in studijs progredi, quomodo parentum votis, & propinquorum expectationi respondere possint, cum amicis tum patriæ magno propediem & vsui, & ornamento futuri.

Quid in scholis seruilia ingenia reuoluere solent? Nihil prorsum, nisi quod faciat ad aqualiculum explendum animo versare, non alimenta, quibus pascatur interior homo, consueverunt meditari, sed quibus obscœna ventris ingluuias exaturetur, pingua nutrimenta.

DE CIVILITATE

In quibus pueris bona profectus spes elucet? *Quorum animus est discendi cupidus, & quasi suspensus de voluntate magistri, non vagis rerum inanium cogitationibus distractus.*

Potestne prauitas ingeniorum in teneris occultari? *Minimè. Nam quemadmodum statim vrit vrtica, & cancri retrocedunt, & echinus asper est, ita protinus exerit se mentium puerilium malitia.*

Poteritne malignitas in pueris institutione sincera corrigi? *Maximè: Plurimum enim (vt Iuuenalis inquit) intererit quibus artibus, & quibus hos tu*

Moribus instituas, Serpente ciconia pullos

Nutrit, & inuenta per deuia rura lacerta.

Illi eadem sumptis quærunt animalia pennis.

Vultur iumento, & canibus, crucibusq; relictis

Ad foetus properat, partemq; cadaueris aufert:

Hic est ergo cibus magni quoq; vulturis, & se

Pascentis, propria cum iam facit arbore nidos.

Deprehenditur ne statim indoles in puero generosa? *Maximè, nam secundum honestatem sese protinus incitat, quemadmodum ille, vt Vergilius canit,*

Continuò pecoris generosi pullus in aruis

Altius ingreditur, & mollia crura reponit.

Primus & ire viam, & fluuios tentare minaces

Audet,

*Audet, & ignoto sese committere Ponto.
Nec vanos horret strepitus, illi ardua ceruix,
Argutumq; caput, breuis aluus, obesaq; terga,
Luxuriatq; toris animosum pectus.*

Qualia nam ingenia præceptoribus eruditis minimè placent? *Præcocia, quæ non temerè vnquam perueniunt ad frugem. Hi sunt qui parua facile faciunt, & audacia perfecti, quicquid possunt statim ostendunt. Qui procaculi & animo & ore faciles atq; prompti, præcepta magistrorum non sequuntur, sed anteuertunt audacia sua.*

Quænam ætatis puerilis propria commendatio? *Verecundia atq; pudoris, sicut virilis, constantia: senum grauitatis. Porro qui puer vereri nescit, is nunquam faciet officium suum.*

Quomodo puer rectè memoriam exercebit? *Huius animi partis vtilitatem præcipuam sentiet, si non modò autorum certos locos, aut textum scriptorum, sed etiam interpretationem à magistro accommodatam memoriter recitare posse didicerit. Hoc memoriam mirificè exercet, ac intelligentiam excitat, & illam neglectu innascentem socordiam excutit.*

Quomodo pueri sententiam aliquam à præceptoribus iussi conuertent in Latinum? *Pro se quisq; annitetur, vt quàm bellissimè*

DE CIVILITATE

finè absoluat pensum suum, nullo modo conferent operas: neq; doctrinulas inter se quasi mutabuntur. Nam debet Magistro ut vniuscuiusq; ingenium, ita profectus quoq; esse notus.

Quomodo probè rectèque pueri sese gerent? si versabuntur in studijs cum diligentia & cura, absq; calliditate & nequitia: quod vnum breuiter vniuersa complectitur.

Quinam sine diligentia curaq; reputantur in studijs versari? Qui post libellum sedent, caput manu sustinentes nixum cubito. Qui ad omnem strepitum, vocem, sibilum, oculos, caputq; circumagunt, qui mussitant aliquid, inhiant parieti aut tecto, oscitant, tantumq; non & stertunt.

In quibusnam pueris arguitur calliditas atque nequitia? Qui sunt improbi & veteratores, qui quasi alea ludentes, nihil agunt simpliciter, apertè, fideliter: neq; vnquam sine metu officium suum faciunt, à quibus vitijs. abesse oportebit eos, qui magistris spem facturi sunt profectus sui.

DE MORIBVS.

QVÆSTIO PRIMA.

De quibusnam rebus hodie plerosque inter homines solent fieri quæstiones?

De fastu, diuitijs atq; luxu, non de moribus, quod reprehendit Iuuenalis, inquit:

Protinus ad censum, de moribus vltima fiet

Quaestio, quot pascit seruos, quot possidet agri

Iugera, quàm multa, magnaq; paropside cœnat?

Et Horatius carpit sententiam populi sic claman-

tis:

O ciues ciues, quærenda pecunia primùm,

Virtus post nummos.

Quid veteres, qui præcepta vitæ tradiderunt, ab initio consueuerunt facere?

A veneratione semper & cultu diuini numinis sunt exorsi. Quod eò magis custodiendum nobis Christianis erit, quò certiora de diuinitate omnia nos habemus.

Quid igitur destinati sacrosancto studio pueri ante omnia facient? Principiò certa, puraq; mente colere Deum, & adorare discant, audientq; libenter, quæ pietatem erga illum inserere, & augere possint. In sacris concionibus libenter, sedulo, studiosè aderunt. Inter ceremonias, ritus, operationes sacrorum astabunt verecundè, & composito ore, & quieto vultu. Deum tum maximè aspicere ad se arbitrabuntur, coramq; illo se astitisse.

Quando precibus operam dabunt, & quomodo? Non in cœtu solùm, & conuentu hominum, sed etiam vbi soli erunt precabuntur.

Etenim

DE CIVILITATE

Etenim cum Deus spiritus sit, eos qui adorant, cum spiritu ac veritate oportet adorare.

Quosnam pueri secundum Deum obseruabunt, ac venerabuntur? Parentes suos, & si quibus par debetur reuerentia, vt sunt cognati, & consanguinei, & illi, quorum in tutelam fortè venerunt, aut dati sunt, & quibus ad virtutem educandi commissi fuere, quos vel verbulo offendisse, pro piaculo ducent. His parebunt momentibus, non irascentur, si quando ita re poscente fuerint castigati.

Quinam indignantur, animoq; ringuntur, cum fuerint virgis obiurgati? Quibus mala mens, malus animus, qui peruicaces, vt asini petulci, recalcitrant: qui deniq; Phryges non nisi plagis emendari solent, ad stiuam, aut lapidicinam aptiores multo, quàm ad studia literarum.

In quorum institutione præceptores oleum & operam perdunt? Quemadmodum, vt Horatius ait,

*Nemo adeò ferus est, vt non mitescere possit,
Si modò cultura patientem præbeat aurem.*

Sic omnis opera, quæ in refragantibus castigationi discipulis, & indignantibus admonitioni, & contumacibus sumitur, perit.

Quales pueri præceptoribus suis optandi? Modesti & obedientes, quos verba magis

gis quàm verbera mouent. Nam verè dicitur, vix vnquam plagis meliorem fieri, qui verbis non corrigatur. Optimus omnium est ille, qui verbo (quemadmodum equus generosus vmbra virga) regitur.

Suntne virgis obiurgandi pueri? Quintilianus arguit pueros non esse cadendos: sed aliter sentiret, si clarissimus autor incidisset in hæc tempora, in quibus tanta petulantia, tantaq; feritas inundat, vt innatam nonnullis pueris malitiam eximere non possis, sine crebro virgarum vsu: malorum igitur natibus non minus parcendum erit, quàm lupis. Multo rectius Salomon, quàm Quintilianus inquit: Stultitia agnata est cordi adolescentis, virga verò castigatrix eximet eam.

Quid Atheniensis Antisthenes ille respondet, rogatus, quam ob rem seuerior esset erga discipulos obiurgator? Et medici, inquit, erga egrotos: Significans, se in vitia seuire, non in homines, nec vitia sanari blandiendo.

Quosnam pueri secundum parentes venerari debent? Senes. Nam scriptura dicit: Senes venerandi. Coram cano capite resurge, & honora personam nerandi. Et Iuuenalis ait:

Improbilas illo fuit admirabilis æuo,
Credebant hoc grande nefas, & morte pian-
dum,

Si iuue-

DE CIVILITATE

*Si iuuenis vetulo non assurrexerat, & si
Barbato cuicunq³ puer: licet ipse videret
Plura domi farra, & maiores glandis acer-
uos.*

*Tam venerabile erat præcedere quattuor an-
nis,*

Primaq³ par adeò sacræ lanugo senectæ.

*Porro senes sunt etate parentibus proximi, &
adolescenciam exemplis & doctrina possunt insti-
tuere.*

*Qualiter sese gerent erga omnes ali-
os? Placidè, mansuetè, humaniter, verecundè,
non procaciter, ferociter, impudenter. In pri-
mis cum æqualibus suis amabiliter conuersabun-
tur.*

*Quænam Thracica disciplina est? Co-
hortari pueritiam ad imperia detrectanda, ad
murmurandum, recalcitrandum, repugnandum,
vlciscendum. Quæ cultu Musarum, sicut est, alie-
nissima habenda.*

*Quid cum ijs pueris agendum, qui
fuerunt mendaces, perfidi, rapaces, ma-
ledici, calumniatores? Si quis ita malus na-
tura fuerit, vt hisce vitijs immedicabiliter labo-
rauerit, è cœtu studiosorum tempore submouen-
dus erit, ne tanquam vna morbida ovis, totum
gregem inficiat. Notum enim est Prouerbi-
um: Si iuxta claudum habites, subclaudicare disces. Ma-*

lus

lus ipse fies, si malis conuixeris.

Quem nam præ cæteris commilitonibus & æqualibus puer in oculis ferre debet? Si quem intellexerit se doctrina & exemplo instruere posse, illum cum primis diliget, complectetur, studebitq; eius intelligentia doctior, & ductu melior reddi.

Quænam in pueris turpissima res est? Pudor, Impudentia. Nam præcipuè conuenit pueris, & ore & lingua, & animo pudentes esse. Et pudor est tinctura virtutis: vt erubescenti atq; ob id perturbato cuidam adolescenti fertur Diogenes dixisse.

Qualem in studio conseruabunt habi- Status, tum corporis? Decentem atq; rectum, Ante se manus, pariter pedes, & os rectum tenebunt.

Qualis erit incessus? Temperatus, non ci- Incessus, tus nimis, neq; tardus valdè. Nam cum celeriter modò, iam lentè nimis itur, fit magna significatio non adesse constantiam, sed vacordiam: quod in Catilina Salustius notauit, inquiens: Citus modò, modò tardus incessus inerat.

Loquentur ne pueri multa? Nequaquam, præsentibus natu maioribus, aut dignitate & genere præstantibus paucissima dicent. Rectè Carò: Nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum. Hinc illud apud Gellium:

Optimus est homini lingua thesaurus, & ingēs
Vir-

DE CIVILITATE

Virtus, quae parvis mensurat singula verbis.

In quanam lingua puerile silentium laudabile praedicatur? In Teutonica. Sed in Latina loqui laudabilius, si quis bene, & recte sciat, quod in pueris vix euenit vnquam, propter imperitiam, & infirmitatem mentis.

Quales igitur iudicantur loquaculi?

Vani atq; futiles, etiam si praesumpta sermonis promptitudo, videatur habere aliquid elegantiae.

Quibusnam rebus linguaces illi similes reputantur? Solstitialibus flosculis, qui repente exoriuntur, repente occidunt, haud enim ferè perueniunt ad bonam frugem.

Quando & quomodo puer, si rogatus fuerit ab aliquo, respondebit? Tum demum, cum interrogator dicendi finem fecerit: non interrumpet sermonem. Respondebit autem non temerè, neq; subito, sed cum ea, quam aetas haec fert, cogitatione atq; modestia.

Cur exquisita cogitatio, nec acuta nimis oratio non requiritur in aetate tenera? Quia nimium & quasi senile quiddam sapere pueros, ita est ingratum, ut etiam auersari soleamus, & odisse senili pueros sapientia. Et vulgo inualuit opinio, ut credant puerulos nimis properè sapientes, aut non fore vitales, aut dementes futuros, simul atq; ad aetatem maturam peruenerint.

Quid

Quid puer cogitabit, priusquam dicere aut facere quicquam incipiat? Reuoluet animo, num sit id laudabile. Atq; hac de præceptiunculis magistrorum exquiret. Si laudabile esse inuenerit, aggredietur, & quidem confidenter. Si contra, refrenabit incitaram cupiditatem suam. Si vero dubitabit, tantisper continebit se, dum quid rectè fiat, constitutum, certumq; habuerit.

Cur non ad omnia puer, vt quicquid subijt animum, & cupiditatem, ferri debet? Quoniam inconsultò proruentes, nunquam non peccant; etiam cum fortè non vitiosissime cecidit, quod egere. Nam in hoc ipso culpa est, quod fecere temerè: & si vix vnquam, quæ hoc modo suscipiuntur, rectè fieri solent.

Decetne gestu significare reuerentiam, & honorem præfari, cum persona eius qui colloquetur, merebitur? Maxime, sed apud alios atq; alios eiusmodi sunt. Apud nos & nudari capita, & modicè flecti genua, & appellari domini, vel etiam cum additione, venerabiles, clementes, magnifici, consueuere.

Quænam inter standum probrosa turpitudine committitur? Ea fit crura diuaricando, atq; contorquendo.

Quid designat pectinatim inter se

H com

DE CIVILITATE

Manus.

complicare manus? Ominosum quiddam vulgo dicitur protendere, Et certè tristitiæ animi est indicium. Sini igitur compositæ simul ac ociosæ.

Oculi.

Decetne deiectis nimium humi oculis consistere? Non decet. Nam hypocriticum est, atque desperationis signum. Multo melius igitur puer in colloquentem intuebitur, nisi quailius oratio pudorem, & erubescentiam efficere debeat.

Decetne collum incuruare, aut mentum affigere pectori? Non decet, est enim rusticorum, qui Decliuem magno portant sub pondere vultum.

Quorum est ansatum, vt Plautus ait, ad stare, & ingredi gestu militari? Polyphemorum, Urbium expugnantorum, Sybaritarum per plateas ingredientium, aut fastuosorum, quorum arrogantia prouerbio locum fecit. Gigantum, non ingenuorum puerorum.

Sunt neructus & sputa prohibenda? Eadem in filio suo rustica nulla ferre poterit anus.

Quomodo puer suas, vel res alienas, quibus incumbunt fortè ministeria, peraget? Annitetur, vt fiant omnia strenuè, accurate, paulatim, grauiter: non oscitabundè, negligenter, preposterè.

Quid

Quid in pueris habet eximiam laudem? Omnibus seruire, libenter & studiosè, promptitudine animi, & facilitate maxima.

Quid in ijs valdè vitiosum? Nimia desidia, languore, & plus a quo vehementi præcipatione, festinare. Videas enim quosdam somniculosè omnia, quosdam concitatè & turbulentè dicere atq; facere. Inter hæc medium (vt semper) laudatur, quo non decus modò præstatur, sed utilitas quoq;. Nam & negligentia & festinatio nimia, serè detrimetosa esse consuevit.

Quomodo patinæ manum adhibebit puer? Sic vt non præuertat in esca sumenda potiores alios. Quæ circa mensam.

Retinebuntne quod ante ipsos appositum fuerit in mensa? Minimè, sed defecabunt aliquantulum, apprehendentes manu particulam, quam ipsi edant, reliquum confixū cultello reponent, aut ante illum à quo totum acceperant, aut si orbem illius occupatum videant, alteri proximo: aut in patinam referent.

Suntne pisces appositi, postquam partem inde decerpseris, cultello configendi, & ab orbe reponendi? Minimè. Nam pisces scindere, aut configere vitiosum habetur.

Quid inter edendum cauebunt? Ne quid ore sinant excidere, ne turpiter, & inflatis

DE CIVILITATE

buccis mandant cibos, néve plus iusto in os simul infarciant. Et cum dentibus cibi conficiuntur, continebunt labra, neq; sinent hiare.

Quomodo sumenda calidiora iuscula? Calidiusculas offulas accepturi, non afflabunt vehementer, tanquam è follibus, plenis buccis, Nec sorbendo sonitum edent, quod equorum est, per capistra bibentium.

Quid in accubitu foedum factu reputatur? Lingua quasi repurgare interiùs dentes, & buccas lambere foedum creditur, foedius exteriùs labra.

Quid in mensa stolidum censetur? Oblatum cibum recusare, & simulare satieta-tem.

Quid rusticum? Ingurgitare sese, & tantum ingerere vel cibi vel potus, quod fossoribus duobus satis esse posset.

Quid in mensa bonis moribus valdè contrarium accidere solet? Sic bibere, vt spiritus excludatur, & lachrymis oculi destil-lent.

Quid dedecorosum? Properando com-mittere, vt aliquid potus effluat ex ore.

Quonam cultelli sunt reponendi? Iu-xta orbiculos: cum vsus autem poscet, scitè manu capientur, reponenturq; in locum suum, non di-gitis iactabuntur.

Quid-

Quidnam summa cum turpitudine fieri solet? *Cultellum habere sectionibus ineptum, quo non scitè carnes secantur, sed turpiter veluti serra discerpuntur. Præmorsum item in patinas reijcere: & in ijs cibum ante se coaceruare, longè turpius.*

Quantum de totis panibus decidendum erit? *Quantum volet esu puer absumere, Nam multa fragmenta relinquere indecorum.*

Quónam id, quod edi non potest, vt ossa, spinæque, reponendum erit? *In summo orbiculo bellè componendum.*

Quorum imperata libenter faciet puer? *Obsequiū, Natu maiorum. Etenim magna fuerit incivilitas, si recusatione sua grandioris voluntatem improbauerit, aut illo prudentiorem se voluerit intelligi.*

Quosnam imitabitur in instruenda vita? *Quorum mores atque sanctimoniam sciuerit commendari, hos sequi, similisq; eorum esse contendet.*

Quidnam à rusticis, & aberrantibus à decoro capiet utilitatis? *Mores eorum beluinos obseruabit, ac studebit eorum deformitatem euitare. Cuius rei gratia Lacedæmonij seruos Helotes, qui vino essent temulenti, pueris ostendebant, vt eò magis abominarentur ebrietatem, videntes quàm deforme spectaculū esset ho-*

DE CIVILITATE

mo, immodico madens vino, quamq̄ dementi similis.

Debetne puer vel oculis vel auribus aliena captare? Minimè. Nam ea peruicacia sunt insidiatores, atq̄ proditores. Et fraudulentis istis auscultatoribus, & inhiantibus ijs, quæ dicuntur & fiunt, nemo est, qui non iratissimus esse soleat.

Ex quanam re conscius animus peccati deprehenditur? Si fugitauerit, aut latebras quaesierit, aut oculis conspectuiq̄ se subduxerit, Quæ mala conscientia signa. Curabit igitur in nullo deprehendi factò vel opere, quod pudorem aut metum incutere possit, aut mereri pœnam.

Vestium
cultus.

Quænam in vestitu cultus requiruntur? Mediocritas & mundities, honestis pueris conueniens, habitus item pro consuetudine & more presentis temporis & vsus.

Quænam sunt vitiosa vestimentorum genera, minimè ferenda? In quibus sunt insanae lacerationes, prodigiosa dissectiones, stupende alligationes, & varietates denique monstrosæ.

Moratus
puer.

Quem puerum summatim dicis morum ciuilitate reliquis prælucere? Cui caput est pexum, nares & ora munda, compositus vultus, mites oculi, pressa labra, nihil contortum,
nihil

nihil saeuum, nihil inflatum, cui decorus status, & sessio, planus & aequalis incessus, nec exultatione, nec lentitudine, neque festinatione culpabili, nulla oscitationes, contentiones artuum nulla, nihil deniq; quod prodat animi supinitatem.

FINIS.

ALIQVOT EX ADMONITORIO ISOCRATIS AD DAE-MONICUM sermone Quaestiones depromptae, sequuntur.

QVAESTIO PRIMA.

Quid puer omnium primum faciet? Pietatem erga Deum colet. Deinde praestabit se talem erga parentes, quales optauerit erga se futuros suos filios.

Cur debet exercitio firmare corpus? Ut non tam roboris, quam valetudinis rationem videatur habuisse.

Cur non procliuis in risum, nec in verba confidens esse debet? Quoniam illud stultitiae significationem, hoc vesaniae continet argumentum.

Quomodo vultum componet? Ut in illo non tristitia, sed appareat seueritas, nam illa contumaces, hac prudentes videri facit.

H 4

Qua-

DE CIVILITATE

Quanam re nihil pulchrius in puero, nihil item decentius? Munditia, pudore, probitate, temperantia, quibus vniuersis contineri mores adolescentum putantur.

Cur nō malè faciet puer, etiam si peccasse eum Diſ atque homines ignoraturi forent? Quoniam, vt peregrinus Philoſophus apud Gellium ait, non pœna aut infamiae metu non eſſe peccandum intelliget, ſed iuſti honeſtiq; ſtudio & officio.

Cur non triftis, ſed cogitabundus videri debet? Quoniam propter illud ferox, propter hoc prouidus eſſe credetur.

Cur ſectari debet laudabiles voluptates? Quoniam delectatio cum honeſtate coniuncta, res optima, ſine hac deterrima eſt.

Sperabitne latiturum, ſi turpe quippiam fecerit? Minimè. Vt enim alios celare, Deum tamen non poterit. Et conſcium habebit ſemetipſum. In omnibus igitur actionibus rerum ita viuet, vt ante omnium hominum oculos verſetur.

Cur honeſtis ſtudijs incumbendum, nullisq; parcendum laboribus? Quoniam, ſi per laborem honeſti quippiam egerit, labor abit, honeſtum manet: quòd ſi per voluptatem quippiam turpe fecerit, quòd ſuaue eſt abit, quòd turpe eſt, manet.

Quo-

Quomodo sibi plurimum opinionis adiunget? *Si non fecerit ea, quæ reprehenderit in alijs.*

Quomodo multa discet? *Si fuerit discendi cupidus.*

Cur in vita quicquid oci fuerit, impendendū studio discendi, audiendiq;? *Quoniam ita facile discet, quæ alijs magno labore inuenerunt.*

Cur doctrinam præferet omnibus diuitijs? *Quoniam hæ citò dilabuntur, illa autem verus est thesaurus, quem à te nemo poterit auferre.*

Cur adolescentem non pigebit iter etiam longum facere ad bonarum literarum professores? *Quoniam turpe fuerit, cum mercatores tantum pelagi nauibus emetiri non dubitent, quò cumulatiorēs suas opes efficiant, nolle adolescentem terrena via contendere ad incrementum intelligentiæ suæ, ingenijq; profectum.*

Quodnam est in puero comitatis argumentum? *Affabilem esse, obuios appellare benignè, libenter salutare, cum omnibus colloqui, alijs commodè respondere.*

Cur non crebrò debet eosdem conuenire, neque diu cum eis agere de eisdem? *Quoniam vt vicissitudo, sic omnium rerum est satietas.*

H 5 Cur

DE CIVILITATE

Cur eleganti, non exquisito cultu debet vti? *Vt venustati, non fastui, aut luxui studere videatur, quorum alterum magnificentia, alterum est leuitatis.*

Cur pecunias non temerè prodigere, sed conseruare debet adolescens? *Duas de causis: Vt & damnum aliquod ingens illatum sufferre, & dignum amicum in aduersitate subleuare possit.*

Cur alicui non exprobrabit calamitatem? *Quoniam incerta fortuna, nec sciet, quæ futura sint.*

Cur spontaneis seipsum laboribus exercere debet? *Vt coactus quoq; perferre possit.*

Cur adultores auersabitur, perinde ac fallentes? *Quoniam ambo malum dant ijs, qui ipsis fidem habuere.*

Cur se comem ijs, quibus cum versatur, præbere debet? *Quoniam insolentia & fastus superbiorum est, quæ non in seruis perferenda sunt, nedum in pueris.*

Cur in primis sibi cauebit à bibendi consuetudine, & si quando tempus tulerit, ante ebrietatem surget? *Nam si fuerit vino mens corrupta, patitur idem quod currus solent, qui suos effuderunt aurigas: Illi namq; sine ordine, suis destituti rectoribus, feruntur, animis quoq; plurima peccat, ratione subuersa.*

Cur

Cur inops probitas gratior haberi debet, quàm improba opulentia? Nam tanto præstantior est opibus iustitia, vt illa sola viventibus profint, hæc verò defunctis etiam gloriam præstet, & illa passim improbis contingant, hæc malis prorsum sit inaccessa.

Quodnam ad dicendum tempora puero deputanda? Duo, primum: cùm sint aliqua de quibus exploratũ habeat. Alterum, cùm sint, de quibus dicere sit necesse. In solis enim istis potior est sermo quàm silentium. In reliquis melius fuerit tacere quàm loqui.

VETVS DE MORIBVS

in mensa seruandis Epitome.

Nemo cibum capiat, nisi consecratio fiat:

Priuetur mensa, qui spreuerit hæc documenta.

<i>Adiuncti mensis</i>	Vultus hilares habe-	} <i>atis.</i>
	Rixas, murmur fugi-	
	Simul erectè sede-	
	Quid edendum ne refer	
	Sal cultello capi-	
	Mappam mundam tene	
	Ne depositum capi-	
	Alijs partem tribu-	
	Demorsa haud reijci-	
	Ne scalpatis caue-	
Modicũ (si crebro) bib-		
Christo grates & ag-		

DE CIVILITATE
IOANNIS SVLPITII,
DE MORVM CIVILITATE,
LIBER PRIMVS.

QVOS decet in mensa mores seruare doce-
mus,

Virtuti vt studeas, literulisq; simul.
Quæ prius admoneo, miti puer indole serua:

Præq; tuis oculis hæc mea iussa tene.

Sit sine labe toga: & facies sit lauta, manusq;:

Stiria nec naso pendeat vlla tuo.

Et nihil emineant, & sint sine sordibus vngues:

Sit coma, sit turpi calceus absq; luto.

Linguaq; non rigeat: careant rubigine dentes:

Atq; palàm pudeat te fricuisse caput.

Exprimere & pulices: scabiemq; vrgere nocen-
tem:

Ne te sordidulum, qui videt ista, vocet.

Seu spuis, aut mungis nares, nut asve, memento

Post tua concussum vertere terga caput.

Mucorem haud tangas digitis, sputumve resorbas:

Panniculo nasum mungere namq; decet.

Et ructare caue, quin ora in terga reflectas:

Stringe os, & crepitum coge tenere nates.

Munditiæq; tibi placeant: medio quoq; cultu

Vtere, ne turpis, vel videare leuis.

Ne maledicta refer: nec promas turpia dictu:

Est, stomachosa quidem dicere, turpe tibi.

Moribus

Moribus vrbanis curato præditus esse:

Parce gulæ turpi, luxuriamq; fuge.

Parce & auaritiæ: bilem frenare memento:

Inuidulus, tumidus, non odiosus eris.

Desidiam fugias, atq; oia turpia pelle:

Et ludi turpes sint procul, atq; viri.

Fidus sis, gaudensq; bonis: temerarius esse

Despice: non audax sis, timidusve nimis.

Nec penitus mutum, nec te decet esse loquacem:

Conuenit ille thoro, conuenit iste foro.

Et mansuetus eris: rectum te lectus habebit:

Detege nec socium, nec tua membra moue.

Nec sis difficilis nimium, nec credulus esto.

Dedecus & metuas, & reuerere bonos.

Futilis & mendax nunquam, nimiumq; seuerus

Esto: sed & comem, munificumq; velim.

Sis pius, atq; colas superos: venerare parentes:

Et noceas nulli, surripiasq; nihil.

Nec sis vinosus: quamuis potasse Catonem

Fama refert: fugias sumere vina mera.

Non sis derisor: non somniculosus: iniquus

Non iudex: nec tu testis iniquus eris.

Omnibus in rebus studeas (precor) esse modestus:

Sis auidus laudis: sit tibi cura boni.

Sic benè moratum laudabimus, atq; colemus:

Sic & honorus eris, sic eris ipse grauis.

LIBER

IOAN. SVLPITIVS
LIBER SECVNDVS.

Nunc faciles aures, animum quoque trade
serenum:

Morigerare mihi, mollia iussa dabo.

Non sum qui laudē, summo te accumbere mane,
Iudice conueniens me dabit hora cibum.

Nec vos ante focum cœnas producite longas:

Hoc faciat caupo qui sapit, ista fugit.

Sterne thoros nitide, lautosq; appone quadrātes:

Atq; salem, & Cererem, flumina, vina, dapes.

Deinde precare Deum, qui suggerit omnia nobis,

Vt cibus & positus tum benè potus alat.

Te vitare velim, cupidus ne vt lurco sonoras

Distendas fauces: mandere ritè decet.

Et licet antiqui cubuissent pectore prono,

Te colla hac ætas recta tenere iubet.

Et finito mensis cubitis hæere potentes:

Tu tantum facileis pone, repone manus.

Tuq; puer iubeo sed eas raro ve, vel astant,

Pocula mitte celer: pone ve, tolle dapes.

Iuraq; conuiuas super importare minister

Effuge: nam turpis sæpè fit inde toga:

Quodq; iubebit herus, facilis semperq; subito:

Quemq; tibi dederit, tu tibi sume locum,

Quodq; vir egregius pauido tibi porriget, illud

Sume libens: grates, aptaq; verba refer.

Esto tribus digitis, magnos nec sumito morsus:

Nec duplices offas, mandere vtring; iuuet.

Dapsilis.

Dapsilis, & largus semper blandeq³, sodali
 Impartire tuo, pauperibusq³, dapes.
 Nec vos obscenos laudabimus, aut comedones:
 Esse decet, viuas: viuere, non vt edas,
 Namq³, cibus nimius capiti, stomachoq³, nocebit:
 Corporis & vires, ingeniumq³, rapit.
 Gausape non macules, aut pectora: nec tibi mentū
 Stillet, sitq³, tibi ne manus vncta, caue.
 Sape ora, & digitos mappa siccabis adapta:
 In quadra faciat non tua palma moram.
 Quod tibi vicinum fuerit, tu sume: sodali
 Cede tuo, referat dum tamen ille manum.
 Dumq³, in frustra secat, caueas sumpsisse recisa:
 Lurco legit dulces absq³, rubore bolos.
 Nō manibus gremio immisis, tibi vellicet vnguis,
 Quod sumes: residens non agitato pedes.
 Incidasq³, prius, quam dens condundat, offellam:
 Tingantur rursus ne tibi morsa, caue.
 Nec lingas digitos, nec rodas turpiter ossa:
 Ast ea cultello radere ritè potes.
 Siue super mensam cortex cumuletur, & ipsa
 Ossa, vel in patinam, præ pedibusve iace.
 Nec tanquam ficos tenta, nec delige frustra:
 Et quocunque manus, huc tibi lumen eat.
 Nec socium toruè inspicias: quid ve ederit ille
 Aduertas: gestus inspice saepe tuos.
 Pocula cum sumes, tergat tibi mappa labella:
 Si tergas manibus, non mihi charus eris.

IOAN. SVLPITIVS

Vna manus sumat paterā: ni hāc iactet in hostem
Theſeus, aut Beli ſint monumenta patris.
Aſt hanc ſi binis manibus captabis, id aptè
Efficies: digitis pocula ſume tribus.
Et teneas oculos: nec ſupra pocula fare.
Plena aliquo, vita, ſit tibi bucca, cibo.
Deme merum cyatho, multum ne fortè ſuperſit;
Quod nolit ſocius ſumere ritè tuus.
Qui ſapit, extinguet multo cum fonte falernum:
Et parco lympham diluet ille mero.
Non facies binos hauſtus: nec feſſus anheles:
Sibila nec labijs ſtridula prome tuis.
Nec citò ſorbebis, velut oui lutea grati:
Nec nimium tarda ſume falerna mora.
Vnum ſume, duo, ad ſummum tria pocula ſumes:
Si hunc numerū excedes, iam mihi potus eris.
Fac videas, quodcunq; bibes, modicumq; pitiffa:
Crater, ſiue calix, det tibi vina breuis.
Os quoq; tergebis ſemper poſt pocula: palmas
Ablue, cū mensam deſeris, atq; labra.
Summo tum grates pro donis redde parenti:
Aeternas nobis qui parat vnus opes.
Inſlectensq; genu, iungens quoq; brachia, Proſit
Dicito: mox tollens ordine quæq; ſuo.

AD SVPERIORA DOCUMENTA.

NEC ſatis eſt, mundum, comemq; accedere
mensam,
Ni probus in cunctis conſpicere locis.
Proinde

Proinde puer, qualem satagas deducere vitam,
 Te perquam paucis admonuisse velim.
 Manè experrectus, quas condidit optimus Autor
 Christus, eas referas supplice mente preces.
 Deinde salutatum properabis vtrunq; parentem:
 Et cuicumque tuæ cura salutis erit.
 Tum quemcunque vides venerandum relligione,
 Sanguine, canicie, moribus, officio.
 Huic, si fortè sedes, satagas assurgere: sistas,
 Aut transis, retegens tempora, flecte genu.
 Tum preceptoris tibi patris amore colendi
 Auribus, atq; oculis, menteq; verba cape.
 Quæ si fortè tibi minus intellecta reliquit,
 A condiscipulis sunt repetenda tuis.
 Intellecta autem, ne mox neglecta queraris,
 Inscribe nitido sæpè legenda libro.
 Tandem, vbi doctus eris, reliquum est, benè viue-
 re cures:
 Ignarisq; tibi cognita præcipias.

PETRARCHA AD

Iuuentutem.

Vile quid exornas nitido tã corpus amictu?
 Quod cras fortè auidis vermibus esus
 erit.

Fœcundi calices, amor immoderatus edendi,
 Eneruant vires corporis atq; animi.

I

Sæpè

DE CIVILITATE

Sapè bonos mores rapiunt conuiuia mensæ,
Sapè perit probitas, ingenuusq; pudor.
Quid demens tantum gaudes iuuenilibus annis
Cum fugiat volucris leta iuuenta pede?
Cum mortis genus & metam nescimus, & horam
Ad tempus mortis nos præparare decet.
Currimus ad mortem citius vel tardiùs omnes:
At precium vitæ, qui benè currit, habet.
Nulli hîc certa quies, cunctis crux vna ferenda est:
Post liceat stabilifata quiete frui.
Est pudor à docto te nil didicisse magistro:
Quin age, te docilem redde, peritus eris.

F I N I S.

MONITORIA PAE- DAGOGICA.

Pædagogus, Puer.

PAE. Tu mihi videre non in aula natus, sed in
caula, aded moribus es agrestibus. Puerum inge-
nuum decent ingenui mores. Quoties alloquitur
te quispiam, cui debes honorem, compone te in re-
ctum corporis statum, aperi caput. Vultus nec sit
tristis nec toruus, nec impudens, nec proteruus,
nec instabilis: sed hilari modestia temperatus: o-
culi verecundi, semper intenti in eum cui loque-
ris, iuncti pedes, quietæ manus. Nec vacilles al-
ternis

ternis tibijs, nec sint gesticulosa manus, nec mordeto labrum, nec scabito caput, nec sedito aures, Vestis item ad decorum componatur, ut totus cultus, vultus, gestus, & habitus corporis ingenuam modestiam & verecundam indolem præ se ferat.

PV. Quid si mediter? PAE. Fac. PV. Siccine satis? PAE. Nondum. PV. Quid si sic? PAE. Propemodum. PV. Quid si sic? PAE. Hem satis est. Istuc tene. Ne sis ineptè loquax, aut præceps. Ne vagetur animus interim: sed sis attentus quid ille dicat. Si quid erit respondendum, id facito paucis, ac prudenter, subinde præfatus honorem, nonnunquam & addito cognomento, honoris gratia, atq; identidem modicè flectas alterū genu, præsertim ubi responsum absolueris. Nec abeas, nisi præfatus veniam, aut ab ipso dimissus. Nunc age specimen aliquod huius rei nobis præbe: Quantū temporis absuisti à maternis ædibus? PV. Iam fermè sex menses. PAE. Addendum erat: Domine. PV. Iam fermè sex menses domine. PAE. Non tangeris desiderio matris? PV. Nonnunquam sanè. PAE. Cupis eam reuisere? PV. Cupio domine, si id pace liceat tua. PAE. Nunc flectendū erat genu. Benè habet, Sic pergito. Quum loqueris, caue ne præcipites sermonem, aut hæsites lingua, aut palato immurmures, sed distinctè, clarè, articulatè consuescito proferre verba tua. Si quem præteribis natu grandem, magistratum, sacerdotem, doctorem,

DE CIVILITATE

Etorem, aut alioqui virum grauem, memento aperire caput, nec pigeat inflectere genu. Itidem facito quum prateribus adem sacram: aut imaginem crucis: In conuiuio sic te prebebis hilarem, vt semper memineris, quid deceat etatem tuam: Postremus omnium admoueto manum patinae. Si quid datur lautius, recusato modestè: si instabitur, accipe, & age gratias: mox decerpta portiuuncula, quod reliquum est, illi reddito, aut alicui proximè accumbenti. Si quis prebibet, hilariter illi benè precator, sed ipse bibito modicè. Si non sitis, tamen admoueto cyathum labijs. Arride loquentibus: ipse ne quid loquaris, nisi rogatus. Si quid obscœni dicitur, ne arridè, sed compone vultum quasi non intelligas. Ne cui obtreçtato, ne cui temet anteponito, ne tua iactato, ne aliena despicio. Esto comis etiam erga tenuis fortune sodales. Neminem deferto. Ne sis lingua futili. Ita fiet, vt sine inuidia laudem inuenias, & amicos pares. Si videris conuiuium esse prolixius, precatus veniam, ac salutatis conuiuis, subducito te à mensa. Vide vt horum memineris. PV. Dabitur opera, mi preceptor. Nunquid aliud vis? PAE. Adito nunc libros tuos. PV. Fiet.

ARS

ARS NOTORIA.

Desiderius. Erasmus.

DE. Quomodo succedunt tua studia Erasme?

ER. Musis, vt apparet, parum fauentibus, sed feliciter succederent, si quiddam abs te quem impetrare.

DE. Nihil non impetrabis, modò sit in rem tuam. Dic tantùm quid rei sit?

ER. Non dubito quin nihil sit artium reconditarum, quod te fugiat.

DE. Vtinam vera prædices. ER. Audio artem esse quandam notariam, quæ hoc præstet, vt homo minimo negotio perdiscat omnes disciplinas liberales.

DE. Quid audio? Vidisti codicem? ER. Vidi, sed vidi tantùm, quòd non esset doctoris copia.

DE. Quid continebat liber? ER. Varias animantium formas, draconum, leonum, leopardorum, variosq; circulos, & in his descriptas voces, partim Græcas, partim Latinas, partim Hebraicas, aliasq; Barbaricarum linguarum.

DES. Intra quot dies pollicebatur titulus disciplinarum cognitionem? ER. Inter quatuordecim.

DE SI. Magnifica sanè pollicitatio: sed nosti ne quenquam per istam artem notariam euasisse doctum? ER A.

Nequaquam. DE. Neq; quisquam alius vidit vnquam, aut visurus est, nisi posteaquam viderimus aliquem per alcumisticam euasisse diuitem. ER.

Equidem optarim artem esse veram. DE. Fortasse quod pigeat literas tantis sudoribus emere.

ERA.

1 3

ERA.

ERA. Scilicet. DES. Atqui sic visum est superis. Opes istas vulgares, aurum, gemmas, argentum, palatia, regnum, nonnunquam largiuntur ignavis & immerentibus : sed quæ veræ sunt opes ac propriae nostræ sunt, voluerunt parari laboribus, Nec oportet nobis videri molestum laborem, quo res tanta paratur, quum cernamus plurimos homines, per horrenda discrimina, per non æstimandos sudores eluctari ad res & temperarias & planè viles, si ad eruditionem conferantur, nec tamen semper assequuntur quod ambiunt. Et habent studiorum labores multum admixtum mellis, si paululùm in ea processeris. Iam in te bona ex parte situm est, vt magnam tædiorum partem amputes. ER. Quonam pacto? DES. Primùm, vt animum inducas amare studia. Deinde, vt ea mireris. ER. Quibus rationibus hoc fiet? DES. Contemplare quàm multos ditârint, quàm multos ad summam dignitatem auctoritatemq; prouexerint literæ. Simulq; tecum considera, quantum intersit inter hominem & pecudem. ER. Probè mones. DE. Deinde cicures ingenium tuum oportet, vt possit secum consistere, atq; his delectari, quæ utilitatē adferunt potius quàm voluptatē. Nam quæ per se sunt honesta, etiamsi in initio nonnihil habent molestiæ, tamen assuetudine dulcescunt: ita fiet, vt & minus fatiges preceptorem, & ipse facilius percipias, iuxta dictum Isocraticum, aureis

reis literis in frontispicio codicis tui pingendum.

Εαυτῆς φιλομαθῆς, ἔσῃ πολυμαθῆς. ER. Satis

adeſt celeritatis in percipiendo, ſed mox effluit,

quod perceptū eſt. DE. Itaq; pertuſum mihi nar-

tas dolium. ER. Haud multū aberras à ſcopo,

Sed quid remedij? DES. Obturanda eſt rima, ne

perfluat. ER. Quibus rebus? DE. Non muſco, ne-

que gypſo, ſed diligentia. Qui voces ediscit non

intellecta ſententia, mox obliuiſcitur, nam verba,

vt inquit Homerus, πρὸς ἑνταῦθα ſunt facile ἄνω-

lant, niſi ſententiarum pondere librentur. Prima

igitur cura ſit, vt rem penitus intelligas, deinde

ſubinde tecum verſes ac repetas: & in hoc cicu-

randus eſt, vt dictum eſt, animus, vt quoties opus

eſt, cogitationi poſſit inſiſtere. Nam ſicuti mens

eſt adeò ſylueſtris, vt in hoc cicurari non poſſit,

haud quaquam eſt idonea literis. ER. Iſtuc quàm

ſit difficile, plus ſatis intelligo. DE. Quiſquis enim

habet animum adeò volubilem, vt nulli cogitatio-

ni poſſit immorari, nec diu poteſt audire loquen-

tem, nec inſigere memoriae quod didicit. Plūbo po-

teſt aliquid imprimi, quod maneat in loco: aqua

aut argento viuo, quoniam aſſiduè fluitat, nihil

poteſt imprimi. Quòd ſi poſſis in hoc ingenium

tuum manſuefacere, quum aſſiduè verſeris inter

eruditos, quorum confabulationes quotidie tam

multa proferunt digna cognitu, minimo labore

diſces quàm plurima. ERAS. Profectò ſic eſt.

I 4

DES.

Id eſt, Si fu-
eris diſcēdi
cupidus,
multa diſ-
ces.

Id eſt, lata,

DE CIVIL. MOR.

DES. Nam prater sermones conuiuiorum, prater quotidiana colloquia, statim à prandio audis octo lepidissima dicta, ex probatissimis autoribus selecta, totidem à cœna. Iam mihi supputa quantam hæc summã conficiant, in singulos menses & annos. ER. Magnificam, si possem meminisse. DE. Ad hæc cum nihil audias, nisi bene Latine loquentes, quid obstat, quo minus intra paucos menses ediscas Latine, quum illiterati pueri Gallicam, aut Hispanicam linguam discant exiguo temporis spacio? ER. Sequar tuum consilium, experiarq̃, num possit hoc ingenium Musarum iugo mansuescere. DE. Ego aliam artem notoriam non noui, quàm curam, amorem, & assiduitatem.

PETRI MOSELLA- NI DIALOGVS.

De relegenda prælectione, de ediscendo, deq̃, enotandis ex autoribus loquendi formulis.

PHEDRVS, & ætate, & eruditione maior:
cum fratre suo IOANNE loquitur.

Quid tu ociosus hinc desides, & non potius prælectionem modò auditam relegis?

gis? IO. Relegi, atq; adeò bis terve. PHE. At for-
 tasse non satis accuratè. IO. Accuratissime, vt
 etiam memoria complectar. PHE. An tuo te offi-
 cio satis perfunctum credis, si memoria tantum
 teneas, & Psittaci more, verba non intellecta præ-
 ceptori reddas? IO. Quin intelligo omnia. PHE.
 Hui omnia, vide quid dicas. IOAN. Omnia in-
 quã, vt maximè tibi videatur incredibile: atque
 id vt credas facilius, liberum tibi est, singula, quæ
 ad modò auditam prælectionem attinent, ex me
 perquirere. PHE. Singula persequi in præsentia
 non est ocium, hoc tantum quero, Primùm: An
 totam autoris sententiam, ex præceptoris inter-
 pretatione sis assecutus, & qua quidque ratione,
 quòve consilio sit dictum, intelligas. Deinde, sin-
 gulàsne clausulas expenderis, Videlicet, si quam
 habeant sententiam insignem, si quod prouerbi-
 um, si quod $\sigma\chi\eta\mu\alpha$, si quem Tropum, si quem co-
 lorem Rhetoricum, si quem locum Dialecticum,
 si quas venustè loquendi formulas, quæ omnia e-
 notare operæ precium est, partim vt sit in prom-
 ptu semper, quo mores nostros pariter, & alienos
 corrigamus: partim vt ex idoneis scriptoribus
 suppetant rectè loquendi scribendiq; exempla,
 ad quæ crassissima illa hodie barbarisantium lo-
 quendi consuetudine posthabita, orationem no-
 stram componere queamus. Postremò, si quod di-
 ctum antiquè, si quod nouè, quod loquendo: si
 I 5 quod

DIAL. PET. MOSEL.

quod parum Christianè, quod viuendo exprime-
 re non conueniat. Hæc magister tuus, vir non so-
 lum doctus, sed & prudens, inter prælegendū di-
 ligenter admonere solet, & ipse eiusmodi, cum id
 ætatis eram, in scholis, non oscitanter excepta,
 domum regressus, partim memoria, partim char-
 tis, fidis memoria custodibus, commendabā: Sensi
 namq; hac diligentia me vehementer proficere.
 Quod si fratris vestigijs insisteres, idemq; face-
 res, iam certè non hîc, sed libris assideres. IOAN.
 Nimis multa in puero requiris. Equidem vt quod
 verum est, tibi respondeam: in his quæ tu mones
 exponenda, plerique omnes sumus negligentiores.
 Nimirum contenti singularum dictionum, quæ in
 contextu reperiuntur, respectum habuisse, videli-
 cet quam ex octo orationis partibus habeant pro-
 genere, quæ sint accidentia, cuius generis, simpli-
 cia sint an composita, in quam cadant Declina-
 tionem. Item quæ partium sit inter sese Constru-
 ctio. PH. Rectè, sed & illa non oportet negligere.
 Alioqui non video quid referat Terentium, Ci-
 ceronem, Virgilium, & similes, tanta cura sine fi-
 ne tractari, si non inde aliquid, quod vel ad rectè
 viuendi rationem, vel dicendi facultatem faciat,
 consequamur. Ipse certè eam lectionem, ex qua
 auditorum imitationi nihil accedit, nullam puto.
 Tantum abest, vt istos probem, qui scriptorum
 sensum exposuisse vtcunque contenti, nullam i-
 mitandi

mitandi viam discipulis commonstrant. Tu verò
quando præceptorem nactus es doctum & fidum,
fac eius tum doctrinæ, tum fidei, diligentia tua
respondeas. IOAN. Dabo operam sedulo, ne quod
ad hanc rem attinet, in re me posthac obiurgare
queas. Sed iam duodecimæ horæ signum auditur,
quare hinc ocyus in ludum contendam.

ANGELVS POLITI-
ANVS IOANNI TEIXIRAE

Max. Regio cancellario

S. D.

CONATUS persæpè sum scribere aliquid ad te,
vir clarissime, quò tibi meus animus, studi-
umq; & voluntas innotescerent, verùm nescio
qui semper ingenuus dixerim, aut rusticus obsti-
tit pudor, vt qui nec me tibi satis notum sciebam,
& virtutis fortunæq; tuæ quodam quasi fulgore
deterrebar: sed impetrauit à me tandem, quales-
cunq; has literas, vel mei officij ratio, vel tuæ hu-
manitatis opinio. Quod igitur Epistolæ huius,
vel mihi accõmodatius, vel tibi acceptius fore ar-
gumentũ sperem, quàm si de tuis liberis, iisdemq;
meis discipulis, ex vero quid sentiam perscripsero?
Misi tu quidem illos in Italiam, vir excellens,
vt moribus, vt literis, vt omnibus deniq; ingenuis
artibus ad summæ fortunæ cultum formarentur.

sed

ANG. POLITIANI

Sed eos domo secum, credo, paternos attulere mo-
res, ut exempla non magis accipiant ipsi, quam
præbeant cæteris. Nihil in illis ineptum, nihil im-
probum, nihil immodestum, nihil durum. Non in-
uerecunda FRONS, non elatum SVPERCILI-
VM, non licentes OCVLI, non proteruior LIN-
GVA, non inconstans VVLTVS, non aliquid po-
stremò vel in facie tota, vel in gestu, vel in statu,
vel in incessu, quod offendat, quod molestum, quod
putidum, quod odiosum sit. PIETatis curam ha-
bent, Magistris operam dant, non assiduam mo-
dò, sed & alacrem, doctiores condiscipulos, hu-
manitate sibi & obsequio deuinciunt: quos mori-
bus obfore, vel famæ credunt, eorum consuetudi-
ne penitus abstinent. Nullum inter ipsos, nisi de
studijs, ac de ijs perpetuum certamen. Nullibi se-
pius aut libentius, quàm aut in oculis præcepto-
rum, aut in cœtu condiscipulorum versantur. Ho-
ras quoq; tempestiuas bonæ valetudini dedicant,
eamq; ob id prosperrimam tuentur. INgenijs aut
sic excellunt, ut facillè se (ne multa dixerim) tuos
esse liberos declarent. Percipiunt facillè quæ tra-
duntur, pronunciant eleganter, retinēt fideliter,
imitantur feliciter. Iam de STVDIO quid dixe-
rim? Nihil equidem ego ardentius, nihil vidi per-
seuerantius. Tantos ergo iam lingua vtraq; fece-
re profectus, ut ipse quoq; non imperitissimus in-
geniorum magister, obstupescam. Quem verò cis
domi

domi custodem, moderatoremq; dedisti, sic eos
prudenter, amanter, diligenter curat, excolit, gu-
bernat, instituit, ut omnino desiderari nihil pos-
sit. Non fallo equidem, nec ipse rursus fallor. Ita
esse rem, vel admirans invidia fateretur. Quocir-
ca multum equidem fortuna istius, non minus
animo tamen propositoq; gratulor. Nec enim le-
uis hinc ad te quoq; redundat honos, filios tot ac
tales, imbecilla adhuc ætatula, tam procul abesse
à tuis oculis, à laribus, à patria, tamq; diu non
quidem scœnori multiplicando, nec mercibus com-
mutandis, ut NOSTRI solent, sed ut optimis
institutis, ut optimis artibus ac disciplinis imbu-
ti, viaticum sibi ad senectutem parent, in quod
ipsa quoq; fortuna nullum ius habeat. Quæ res
tibi iam non modò supra spem, sed etiam supra
vota succedet. Mihi autem crede vir magne, non
tibi illi apud nos minus acquirunt gloriæ, quam
sibi literaturæ. Iam equidem vel tua, vel ipsorum
causa sic eos amo, sic me redamari sentio,

ut in tuum penè locum videantur
mihi amore, & diligentia
successisse.

Vale.

PRÆ-

LVDVS SAPIENTVM.
PRAECEPTA VITAE,
feu Septem sapientes. Auto-
re Ioachimo Camerario.

PROLOGVS.

S Aluete spectatores, optimi viri,
Et artium atq; virtutis amantissimi,
Si multa saepe spectauistis ludicra
Vestris libenter oculis, in quibus senem
Deciperet seruus, amaret adolescentulus,
Edax parasitus irrideret militem,
Hæc etiam agite videte, quæ mores probos
Excolere possint, & iuuare animi decus,
Ad scenicum apparatus modum, non scenica,
Sed plena præceptis bonis vitæ bonæ.
Dedit hos eosdem iam antè ludos versibus,
Qui nomen à veteri sibi sumpsit Ausone,
Factos rotundis, vt scitis, sed nos tamen
Auctam nihil vetat referre fabulam,
Adeste, nostram alite fauore industriam
Vestro, studiaq; bona ornatè beneuolentia.

Poëta Au-
sonius.

PRAECO.

T Ace, sileto, quisquis es. Sile, tace.
Aures apertas, fauces compressas habe,
Manus teneto, pedes suo stent in statu.
Deniq; sui omnes quisq; partes corporis,
Summas, imas, transuersas & medioxumas,
Claudat,

Claudas, premat, componat, demptis auribus,
 Quas & patere, & arrectas esse volumus,
 Praeconium dum fit: dum res ea geritur,
 Praeconium cuius fit hoc causa rei.
 Non auctorem inducturus huc, non forum,
 Prodire iussus sum: quanquam auctio & forum
 Hac illi erunt, sibi esse qui ipse voluerit.
 Venibit utilis doctrina, haud litium
 Sed veritatis iudicia, & sient boni.
 Nunc concionem dum sapientum concio,
 Et nominatim singulos huc euoco,
 Vobis meis danda opera erit sermonibus.
 Mox audietis ipsos diuinos viros
 Ut arbitrata omnis verè est antiquitas.
 Sed hi viri diuini si peccauerint,
 Persona posita, flagris cadentur probè:
 Sin dignitatem acceptam custodiuerint,
 Vino, cibisq; lautis, atq; laudibus
 Affecti discedent, probatiq; omnibus.
Nunc heus tu qui isthic cogitabundus tuum Solon, I.
 Labrum videre velle circumrodere,
 Ne sit nihil tibi postea oris, huc ades,
 Et quid velis mox dicito, & quid afferas.
 Nam quos hic cernis, non gaudent inanibus.
 Hic ille magnus, spectatores, est Solon,
 Qui iactitauit in aulis, in conclauius,
 In angiportis, via, agro, vbiq; gentium
 Illud suum, Vitæ finem considera.

Assiste,

LVDVS SAPIENTVM.

- τέλει
 μακρῶ δ
 σᾶρ ἰβδ.
 Thales.
 II.
- Assiste, dum socios vnà hîc statuo tuos.*
VBI est Thales: Hîc est Thales Milesius,
Qui principatum esse voluit dudum suum,
Et anteponi legumlatori Attico.
Nam syderum hic & leges nouit atheris.
Hic multum dixit breuiter, omnes id sciunt,
Qui non obedisse post factum dolent:
Spondæ propinqua est noxa: aut falsum
est? nemo ait.
- Chilon.
 III.
 γνῶθι
 σεαυτόν.
- LACON adesto cum Scyrata Laconica.*
Chilona spectatores hunc Sparte tulit,
Huius (Te ipsum nosce) verbum est nobile,
Quod poste quondam est consecratum Delphico.
MANETO tu. Tu accedito huc Ionice,
Cum codice. Hic causas orauit optimè,
Bias Prienarum ortus vrbe in Ionia.
Verbum huius est, quod dixit, id: Plures mali.
- Bias.
 III.
- οἱ πλεῦ-
 νες κακοί.
- STA iam illico. Heus tu Mitylenæ, quin ades*
Cum scipione, apta senectæ lancea.
- Pittacus.
 V.
- Cleobolus.
 VI.
- Hic illud protulit pulcherrimum μηδὲρ ἄγαν.*
Quod & Terentio placuit. Ne quid nimis.
CLEOBOLE cessas? Ad: veni huc ænigmatum
Poëta. Sed dic planè, quid velis tibi:
- Periander
 VII.
- Non nos sumus Oedipi. Optimus, huius est,*
modus.
ASSISTE tu cum sceptro coràm hîc septimus,
Quid indignare quassabundis gressibus?
- ἄρηνσὸν μετρού.
 Te

*Teregulum omnium vltimum excitariet:
Sapientia nunc spectatur, non potentia.
Hic cum vxorem ipse necasset iratus suam,
Tum sic coepit monere alios. Iram tene.
Valet. Ego abeo. Nunc vos isthinc singuli
Dehinc singulatim singulas sententias
Ut vultis atq; iussi estis, proponite.
Egressi paulum, quiq; suo in medium huc loco.*

ὄρουῆς
κρατεῖρ.

SOLON ATHENI-
ENSIS.

Mibi principatum primum tribuit patria:
Deinde legum scita sanctarum optima,
Tum, si quis hoc magni quoq; facit, quò duos
Instruxerim reges, conseruarim alterum?
Nam non certè est Lydia vobis fabula.
Itaq; in proscenium princeps hoc prodeo,
Solon Athenis natus, altusq; Atticis.
Communicaturus sapientiam meam
Humanitate cum vestra, optimi viri.
Nam nullus occultarum est vsus artium,
Sed optimarum legum præcepta optima
Memorare, longum & fortè superuacaneum:
Ergo illa mitto, & monita doctrinae exequar,
Meoq; animo quæ placuerunt, sententias,
Ut Atticam perspiciatis sapientiam.
Diem ante suum beatum dicas neminè.

De Cræso
quem vicit
Cyrus.

K

Par

LVDVS SAPIENTVM.

Par iungito pari: Aequalitas res optima
est.

Castiga clanculùm amicum, laudato pa-
lãm.

Non nasci, sed re fieri laus est nobilem.

Stultum dolere damnum est fatalibus,

Sed rebus in dubijs timere stultius.

Nulli fac habeas temerè in vlla re fi-
dem.

Mentiri quisquis audet, audet omnia.

Vita improborum semper consuetudi-
nem.

Latere numen posse nil speres Dei.

Contra Deum loqui, misera res & mala
est.

Nemo nocebit illi, quem tegit Deus.

*Sed nunc Apophthegma vsus quo sum ma-
ximè,*

Dictum breue & rotundum, paulo spissius,

Linguae sono peregrinae vobis exprimam,

Quod dudum verbis praeo Graecis protulit:

Durantis æui terminum considera.

Dixi, Valetè & monita facite sedulo.

THALES MILESIVS.

A *S*sum Mileti genitus vrbe nobili,

*S*apientiae inter principes primus Thales.

Quanquam Solon me hic gloriosus Atticus

Repressit,

Repressit, vt secundo huc exirem loco.
 Sed adiuuat me omnis iudicium Græciæ.
 Qui, si quis scitè quid faceret, aut diceret,
 Hominem meo de nomine vocarunt Thalem.
 Permulta possem de inuentis loqui meis,
 Et commemorare quæ præclare gesserim:
 Sed tempus hoc referendis in sententijs
 Consumere vtilibus malo vitæ, & bonis,
 Quas nunc deinceps percensebo singulas.
 Te maximè omnium omni in facinore
 metue.
 Vita est caduca. Gloria æternum viget.
 Apprimè in vita est vtile, vt ne quid ni-
 mis.
 Non facta modò, sed cogitata videt
 Deus.
 Ne forma, sed animus at niteat, stude,
 tuus.
 Se nosse maximus est mortalibus la-
 bor.
 Quæ facta carpis aliorum, ne feceris.
 Patri quod feceris, à natis spera tuis.
 Honore dignos semper afficito senes.
 Is qui Magistrum colit, paret Deo.
 Quo verbo sum breui & acuto vsus plurimum,
 Memorarem vobis, vt Solon dudum suum,
 Nisi memorassem inter prius sententias,
 Sed aliud Græca mihi præco voce tribuit,

LVDVS SAPIENTVM.

Id tale, si Latinè audire vultis, est:

*Damnosa semper pro alijs apposita est
fides.*

Valete, & studia bonarum colitote artium.

Neq₃ ornamentum his aliud maius ducite,

Neq₃ lucrum his aliud ducite luculentius.

CHILON LACE-
DAEMONIVS.

N*on multa verba facere didici, sed magis
Probare rebus doctus sum sapientiam:*

Patria hunc suum morem Sparta indidit mihi,

Laudis cupido quanta animo fuerit meo,

Cognoscite ex hoc: Nati me iugulat decus,

Cùm cernerem victoriam iuuenis senex,

Et debilem ingens gaudium animam excluderet,

Sed non tamen prudenter nulla ego monui,

Quæ nunc exponere lubet, si per vos licet.

*Ne metuat me imponens, neu despiciat
potens.*

Beneficij statim obliuiscaris dati.

Prosternit ardua, erigit humilia Deus.

*Lingua maledica ipsa aurem inprimis
lædit suam.*

Vita maledicere functo, facinus pessimum.

*Aurum est coticula, animus auro explo-
rabilis. Ca-*

Caueto semper ne lingua ante animum
volet.

Occidit hominem fraudulenta calum-
nia.

Non lingua, lingua est maledica, quid
ergo? gladius.

*Nunc meum Apophthegma Latina edam vocis
sono.*

Ipse intus te studeto & in cute noscere.

Valete. Factis exprimate sapientiam.

Frustra sapit, qui verbis, non rebus sapit.

BIASPRIENENSIS.

Priena me tulere Ionica ciuitas,

Eripere quam mihi hostis vi potuit sua.

Cumq; hac facultatum etiã quicquid habueram,

Sed quod reconditum sapienti animo fuit,

Mecum omne deportaui. Itaq; diues aded

Remansi, vt impertire alijs sit copia

Pulcherrimorum claras præceptorum opes.

Sed multi non curant, ac potius plurimi:

Nam quis non etatem stultus suam & improbus

Multo esse malit auro argentoq; affluens,

Quã vir, sine illis optimus & doctissimus?

Hoc me malè, vt verum loquar, profectò habet.

Itaq; hoc ego clamo, hoc ego semper prædico.

Plures vbiq; reperiri semper malos.

K 3

Sed

LVDVS SAPIENTVM.

Sed & has docui morum & vite sententias:

Nil conscientia optabilius est bona.

Maxima hominum pestis sunt ipsi homines sibi.

Qui nil cupit, est diues: pauper, cui nihil fatis.

Mens est, nocere nolle, cum possis, bona.

Nocere velle, cum nequeas, malignitas.

Benefactorum omnium autorem facito Deum.

Puer ad senectam artis viaticum para.

Pudicitia omnium est dos preciosissima.

Ne statue cito, verum statuta perfice.

Sortis caue vnquam admiratus sis munera.

Furtum scelestum mentis, est mendacium.

Tantum est, Valete, & virtutis colite bonum.

PITTACVS MITYLENAEVS.

LESBO genitus huc Pittacus ad vos prodeo:

Cui Thraciam quidam attribuere patriam.

Quid est in hoc verò discriminis obsecro?

Certè

Certè omnium est communis hominum natio.

Non barbarum natura, sed studium facit,

Et elegantes fiunt, nemo gignitur.

Emendauisse patriæ laus est dedecus.

Sed Pittacum seu Thrace, seu Lesbos tulit,

Celebrant prolata (quas dicam) sententia,

Tacere discat, ritè loqui cupit.

Multi improbent mali, vnus dum pro-
bet bonus.

Si quam tulisti legem, ne violes caue.

Bonum esse, res est difficilis, & ardua,

Malis caue inuideas, derideas bonos.

Aduersitas amicitias examinat.

Ingenia maximè hominum honores in-
dicant.

Prudentis est cauere malum, fortis pati.

Aptissima omnium res rerum occasio.

Rebus parem & generi vxorem eligas
tuo.

Res nulla honesto & casto dulcior est
thoro.

Quo sum frequenter verbo vsus. Tempus monet
Esse obseruandum, vt absit importunitas.

Sed praco nostrum esse aliud haud peius putat,
Neq; ego reijcio, vt illum audistis dicere.

Hoc si Latinè dixero, vt Terentius,

Dixisse sat Latinè puto, Ne quid nimis.

Valete, & virtutem colite in vita, ac decus,

K 4

Nam,

LVDVS SAPIENTVM.

*Nam, præter laudem, quicquid ortum est, occi-
dit.*

CLEOBVLVS LYN-
DIVS, EX RHODO.

Non vt generis exponam clari originem,
Quod ad Herculem referatur, aduenio,
in Rhodo.

*Natus Cleobulus vrbe patria Lyndius,
Neg, enim operæ esse audire vobis hæc scio.
Sed vt fecere alij, meam sapientiam
Paucis comprehensam dictis, hîc edisseram,
Instructionem vitæ habituris haud malam.
Quò eris potentior, hòc superbias mi-
nus.
Alijs libenter ignosce, grauatim tibi.
Dare veniam peccatis, virtuti nocet.
Hæreditas bonorum non decoris venit,
Amici infidias, hostis vita iniurias.
Audire multa maueis quàm dicere.
Virtutis opus est primum, vitiorum fu-
ga.
Nunquam voluptati indulgere bonum
putes.
Libidinem frenare laus est maxima.
Nullæ eruditione meliores opes.
Nil perfido esse detestabilius potest.*

Quod

Quod Præco verbum esse proprium autumat
meum.

Gracè audiſtis dictum, nunc cognoſcite
Verbis Latinis, optimam ſententiam:
Modum tenere in rebus optimum om-
nibus.

Valete. Sat dictum eſt, qui facere voluerit.

PERIANDER CO-
RINTHIVS.

EPHIRÆ vetuſto Periander natus ſolo,
Vbi mare cogens terrā in arctum, nobilem
Vtring, vidit & potentem urbem prius.
Nunc vaſta ſunt, vt alia, & hæc loca Graciæ.
Ad vos venire nunc etiam placuit mihi,
Vt intelligeretis quid eſſet, Mortuos
Prodeſſe viuus, abſentes præſentibus.
Nam qua iuuare quondam re conſueueram
Mortalium vitam, dum vixi & florui:
Eadem, niſi non vultis, & vos iuvero,
Præcepta veræ commemorans ſapientiæ.
Quid queritis? Corinthius ne ſim ille ego
Tyrannus, ortus è parente Cypſelo:
An verò Ambraciotes, huius cognominis.
Tyrannidem vtilitas inuenit publica.
Ita improbum humanum eſt ingenium
liberum.

LVDVS SAPIENTVM.

Cogi, regi, premiꝫ, & affligi volunt.

Sed hac superuacanea disputatio:

Adeste quaeso, & qua dicam cognoscite.

Insanit, vtile qui de recto separat.

*Mortem nec vnquam optes, nec vnquam
exhorreas.*

Quod perpeti necesse est, perpeti velis.

*Quem quisq; metuit, odit, & perire
vult.*

*Ne tollere secundis, ne aduersis mer-
gere.*

Perit voluptas, Virtus immortalis est.

Promissa facito, si careat scelere fides.

Nihil est inexpugnabile diligentia.

*Oculos, manus, mentem ab alienis con-
tine.*

*Fons est malorum cupiditas mala om-
nium.*

Non est manus, sed cordis innocentia.

Meum esse dictum retur Praeco: Iram tene.

Sed mihi magis cordi alterum est, quod eloquar:

In omni re Meditatio plurimum potest.

Valete, & hoc tenete atq; meditamini,

Possitis vt multum omnibus in rebus bonis.

CLAVSVLA.

Isti hinc abiuerunt oppletis auribus
Vestris, sua praeeptioni loquentia

Dixere

Dixere multa illi quidem egregia & bona,
 Sed quæ dixere, quamuis egregia & bona,
 Leuora multò pluma, & sunt folio arido:
 Nisi illa in animos vos vestros demittitis,
 Et penitus pectori atq; cordi infigitis.
 Ac mox factis, rebusq; ipsis studueritis.
 Quasi ad viuū quendam exprimere vitæ modum,
 Sed hæc monere vos nequaquam me decet,
 Rerum peritos optimarum & artium:
 Præstare factis non inani loquentia.
 Virtutis esse qui scitis decorisq; opus.
 Valete, literasq; bonas defendite,
 Et literis bonis patrociniamini,
 Sic vndiq; omnia vobis adueniant bona.

IOANNIS LVDOVICI

Viuis Valentini Symbola quæ-
 dam ad vsum puerorum.

STudio sapientiæ nullus in vita est ter-
 minus statuendus, cum vita simul est
 finiendum. Semper illa tria sunt homini,
 quam diu viuit, meditanda: Quomodo
 bene sapiat, quomodo bene dicat, quo-
 modo bene agat.

Scopus vitæ, Christus. Ita viuamus & aga-
 mus, vt quæcunq; agimus, ad voluntatem & præ-
 cepta Christi referantur.

Pax

STMB. LVD. VIVIS.

Pax Christi. Scilicet optima, atq; potissimum expetenda. Hoc est, animi seu conscientiae tranquillitas: & mutua charitas, secundū illud: pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis, &c.

Murus aheneus, sana conscientia. Conscia mens recti fama mendacia ridet. Et huc pertinet etiam Ciceronis illud ad Torquatum: Conscientiam rectae voluntatis maximam consolationem esse rerum incommodarum: nec esse vllum magnum malum praeter culpam, &c. Aheneus autem murus ab Horatio dicitur firmissimum propugnaculum, μεταφορικῶς.

Bonis omnia in bonum. Scilicet computantur. Nam voluntas in rebus agendis spectanda est, non euentus. Sic & Paulus dixit ad Titum: Mundis omnia munda.

Suspicionibus securis. Suspiciosus ne esto.

Virtus instar omnium. Hoc Poëta alijs verbis expressit, dicens:

— Inuia virtuti nulla est via.

Et vulgo dicimus, Virtus omnia potest, Virtus inexpugnabilis, &c.

Tibicen fortunæ virtus. Hoc est, sustentaculum & fulcrum fortunæ, virtus est. Ea enim res secundas gubernat & conseruat, cum contra, optima saepe fortuna ignauia amittatur.

Antidotum vitæ, patientia. Hinc & sapiens ille dixit: Patere & abstine. Et vulgo dicitur:

tur: victrix malorum patientia. Antidotum autem vitæ, quod vitam conseruat contra pericula & mala, vocat.

Sal vitæ, amicitia. Hoc est, condimentum, & quasi quedam oblectatio. Nam si neminem amicum aut socium habeas, cui res tuas communices, aut qui cum consilia vitæ conferas, tota vitæ ingrata tibi erit.

Oculus vitæ, sapientia. Vt oculis prospicimus quæ foris pulchra, vel deformia sunt: ita sapientia apud animum prouidemus & constituimus, quæ expetenda aut fugienda nobis sunt.

In virtute oculi & manus. Hoc est, ipsa virtus & prospicit omnia, & efficit. Horum enim alterum oculorum est, alterum manuum officium.

Multi nimium, satis nemo. Scilicet possidet. Nam quod quis plus habet, eò plus cupit.

Harmonia interna. Conscientia mille testes.

Satis relicturo. Ad vitæ breuitatem respiciens auaritiam deponet.

Sapiens solus longæuus. Quia solus sapiens videt, quæ futura sunt, & quæ antecesserunt, cum presentibus confert, vel etiam quia quantumlibet breui vita contentus est, & quodcumq; Deus vel natura illi concesserit, id inter beneficia refert.

Pauper

LVDVS SAPIENTVM.

Pauper egens non carens. Non qui pa-
rum habet, sed qui multum cupit, pauper est.

Cor canum in iuuenili corpore. Nam
vt canes facile allatrant quibusuis, ita & iuuenes
plerumq; temerarij sunt, & inconsulta quadam
audacia in omnia ruunt.

Columbini oculi in serpentino corde.
Estote simplices sicut columbæ, prudentes sicut
serpentes. Intelligit igitur hoc symbolum eum,
qui animo quidem sit prudens, Vultus autem sim-
plicitatem præ se ferat.

Oculus in sceptro. Monet, prudentiam in
principe esse debere & vigilantiam.

In virtute Delphinus. Celeritas rebus be-
nè ac rectè agendis adesse debet.

In vltione Callipedes. Tardos nos ad vin-
dictam & vltionem debere esse significat. Calli-
pedes enim etiam prouerbio dicitur is, qui tardior
ad res agendas est, seu qui multum mouens nihil
promouet.

Gloria Crocodilus. Hoc est, Gloria natu-
ram atq; ingenium Crocodili præ se fert. Vt enim
ille facile intumescit, deinde lachrymis fictitijs de-
cipit hominem: ita illa quoq; inflat & tumidos fa-
cit, fumoq; veluti quodam ac specie inani decipit.

Hemerobia vana gloria. Hoc est: incon-
stans & minimè diuturna. Est enim $\eta\mu\epsilon\rho\beta\iota\omicron\upsilon\varsigma$,
quod in vnum tantum diem viuit.

Di-

Disce viuere, mori, &c. Id est: ea disce, que ad veram vitam pertinent, & priusquam mors veniat, ita te para, vt veniente in illam non extimescas.

Viue vt post viuas. Ita presentem hanc vitam transige, vt post hanc vitam, eternam illam consequaris. Vel: Ita viuas hodie, vt & in crastinum tibi liceat viuere.

Blandum imperium, imperiosum. Hoc vulgo dicunt: Potentes dum rogant, imperant. Et, Fistula blandè canit, volucrum dum decipit auceps.

Fortuna nimis blanda, hamata. Hoc Publi. dixit: Fortuna dum blanditur, captatum venit.

Fideli nullæ seræ. Scilicet posite sunt. Omnia enim liberaliter, ac largè suppeditat. Et qui fidus est, omnia integra & intacta relinquit, ac seruat.

Autoritas rerum gerendarum telum. Hoc est: Maxima vis ad res gerendas, est autoritas. Nam penes quos nulla autoritas est, in rebus gerendis non multum proficiunt. Neq; tales vulgus audit, aut sequitur.

Magnes amoris, amor. Amor amorem trahit, velut ansa ansam.

Magnes amoris, modestia. Modestia amorem conciliat, benevolentiamq; parit.

Philtera

SYMB. LVD. VIVIS.

Philtrum amor. *Cæcus amor.*

Magnum satellitium amor. *Qui à multis amatur, multorum favore tutus est, eoq; veluti satellitio quodam stipatur.*

Exercitatio potest omnia. *Sic Terent. Nihil tam difficile, quin querendo inuestigari possit. Et Ouid. Solus & artifices qui facit, usus erit.*

Dij bona laboribus vendunt. *Nihil enim præclarum atque magnificum absque labore paratur.*

Optima cibus inuidiæ. *Quicquid præclarum atq; excellens est, inuidia non caret. Hinc Ouidius dixit: Summa petit liuor.*

Da cæcus, Accipe oculatus. *Sic & Christus dixit: Cùm dederis eleemosynam, nesciat sinistra tua, quod facit dextera. Neque enim ijs gloriandum, quæ quis dederit, sed ea prædicanda quæ quis accepit, ergo illud quod das, non reuocandum sub oculos atque in conspectum est, sed beneficium quod acceperis, diligenter intuendum ac celebrandum.*

Præsidium in innocentia. *Scilicet, quære, siue constitue. Simile est illi, quod supra positum est. Murus abeneus bona conscientia.*

Ciconiæ beneficium. *Gratitudinis & re-compensationis symbolum est. Vide prouerbum ἀντιπελαργειν.*

Comæ

Comœdia vita humana. Hoc est, plena casuum & periculorum, qualia sunt pleraq; Comœdiarum argumenta.

Confide rectè agenti. Quia inter bonos benè agitur, vt habet vetus formula iuris.

Veritas temporis filia. Quia tempore reuelatur, quod diu suppressum, aut dissimulatum fuit, detegiturq; fucus & fraus, & quicquid tale diu latuit. Filia ergo temporis vocatur veritas, eò quòd ex tempore veluti nascatur.

Lupus mendacio tempus. Hoc est, per tempus, siue cum tempore euanescent mendacia, & obmutescunt, quasi viso lupo.

Veritas premitur, non opprimitur. Etiam si ad tempus aliquod veritas celetur ac dissimuletur, tamen tandem in lucem prodit, ac manifestatur.

Exilium inter malos. Perinde graue est inter malos viuere, atq; in exilio.

Ne hilarem insaniam insanias. Sic alibi: Insaniendum cum ratione.

Inter spinas calceatus. Contra prauos ac malos munitum & obfirmatum bonis sententijs, sanaq; doctrina oportet esse. Tale quiddam hoc symbolum significare videtur.

Deum sequere. Quia via, veritas est, & vita.

Virtutis vmbra gloria. Vt vera laus virtutem:

L

tutem:

SYMB. LVD. VIVIS.

*zudem : Ita ipsa iactantia speciem siue vmbra
virtutis sequitur.*

*Honores onera. Honores multi, & inuidi-
am plerunq; & magna negocia pariunt. Nam qui
honores gerunt, eosdem necesse est, multarum re-
rum negocia & difficultates, interdum etiam pe-
ricula, sustinere.*

*Alata ætas. Aetatem hinc pro tempore accipi
puto, quod alatum, hoc est, velox est, ac citò transit,
quemadmodum Ouid. inquit,*

Cito pede labitur etas.

*Fidens, non confidens. Fidere debes, &
benè sperare de rebus, sed non confidens esse, hoc
est, temerarius.*

*Cuius pudebit, pigeat. Ne facias id, cuius
postea te facti pœnitere potest.*

*Stulta de alienis superbia. Allusio est ad
fabulam Aesopi, de cornicula, quæ se alienis plu-
mis exornârat : aut de Asino, qui exuuijs Leonis
indutus, cætera animalia frustra territabat. Po-
test & ad diuites & potentes torqueri, qui suas
opes à fortuna mutuo acceperunt, relicturi eas
quamprimùm illa reposcet.*

*Tu tibi venerabilis. Ita tuas res, tuumq;
corpus, aut ingenium tractes, vt ne turpiter vio-
les, aut profanes, sed tanquam rem sacram, obser-
ues.*

*Oculum in metam. Propositum atq; con-
stitutum*

stilitatum tuum prosequere atq; vrge, Spartam q; vt prouerbio dicitur, quam nactus es, orna.

Iniuria obliuione vlciscenda. Hoc est, Iniuriæ dissimulanda interim sunt, & obliuione prætereunda. Ea enim res paci ac tranquillitati seruit, cum vltio contra ex paruis malis sæpenu-merò ingentia reddat.

Amicum inimicum fugito. Nihil peius inimico tacito atq; occulto est, Is enim dum beneuolentiam & amicitia simulat, cauere facile non potest, specieq; boni grauius decipit ac nocet.

Ne lingua mente celerior. Res ipsas antè consideremus, quàm de ijs verba faciamus.

Diuitiæ iniuriæ pignora. Diuitiæ insolentes & iniuriosos plerunque faciunt. Nam quod quis potentior, eò ad nocendum fermè procliuior est.

Frenum in lingua. Non quiduis temerè, & vbiq; effutiendum, sed coërcenda lingua est, & tanquam freno retinenda.

Nebos in lingua. Contra eos, qui pecunia vel alia re corrupti, veritatem dissimulant, & vbi dicendum erat, tacent. Fuit enim bos antiquitus Græci cuiusdam numismatis insigne.

Populo cede, ne pare. Vulgus vt imperium est, ita & indomitum, cum semel turbari cœpit. Proinde furori illius cedendum est, non autem iussis parendum.

STMB. LVD. VIVIS.

Et pilo sua umbra. Nihil contemnendum,
Foris Argus, domi talpa. In alienarum
rerum curiosos, suarum negligentes.

Voluptatis occipitium, non frons. Hoc
est, voluptarij ea quæ presentia & ante pedes
sunt, non vident, sed tum demum cum læsi, aut
damno affecti sunt, resipiscere incipiunt.

Falle viuens, sed non te. Græcis prouerbi-
um est, λαΰδε βιωσας, quo admonent, ne quis su-
pra suam sortem se extollas, aut potentum nego-
cijs admisceat, sed ita viuat, vt modicis contentus
sit, nullisq; magnarum rerum curis prematur.
Monet ergo hoc symbolum, vt ita lateamus viuen-
do, ne tamen ipsos nos quoq; fallamus. Id est, pror-
sus inertes, ac nulli studio honesto dediti agamus.

Difficilis glorię custodia. Secunda res et-
iam sapientum animos fatigant, vt inquit Salu-
stius. Difficile igitur est in summa fortuna, etiam
famam integram seruare, ne quid admittatur sci-
licet, quod illam aliqua ex parte violet, ac mi-
nuat.

Ora virtute obtura, non metu. Tunc ta-
cendum, cum honestum atq; vtile est, non metu
obmutescendum, quò minus ea loquamur quæ de-
cet, quæq; vsus postulat.

Animo corpus fulciendum. In rebus ad-
uersis animus fortis habendus est, qui corporis
arumnas tolerantia sua leuiores reddat.

Ebrie-

Ebrietas nec madida, nec sicca. Sobrietatis nos videtur velle monere.

Nullus sine linea dies. Apelles hoc dicto monebat, nunquam ita perpetuo ocio indulgendum esse, ut non seriae rei aliquid admisceatur.

Paruo fames constat, magno fastidium. Minus nocere abstinentiam ac famem homini, quam crapulam, innuit hoc dictum. Crapula enim fastidium generat ciborum, quae res morbos comitatur. Abstinentia autem corpori non raro salubris est.

Persona publica, priuatam depone. Hoc est, Cum fueris in officio aut magistratu aliquo, ita viuas, ut priuatas curas deponas, ijsque te compares, quae ad publicam rem augendam, atque ornandam pertinent.

Theatrum virtutis conscientia. Ne quaeras aut ambias, qui virtutes tuas passim celebrent, ac praedicent, sed sufficiat tibi, quod tibi ipsi conscius sis vitae bene & cum virtute peractae.

Quorsum haec alio properantibus? Recordationem mortis hoc innuere videtur.

Iucundum laboris tergum. Hoc est, post labores peractos quantumuis illi difficiles & graues fuere, tamen iuuat eorum meminisse.

Tempestiua iucunda. Adeo ut etiam in tempestiua beneuolentia ab inimicitia non differat.

SYMB. LVD. VIVIS.

Bono Deus lex, malo cupiditas. Hoc est, Mali cupiditates suas sequuntur: Boni autem ea sectantur, quæ Deo placere sciunt, id est, pietatem & iustitiam.

Esto, quod audis. Hoc est, professionem & officium tuum tuere, & quo nomine laudari ac prædicari cupis, ei vt conformem te geras, vide.

Onusto cur inuides? Honores onera.

Ex granis aceruus. Hesiodi sententia est, Si paruum paruo apponas, idq; crebrò facias, etiam paruum illud magnum fieri. Eodem modo ex multis granis inter se additis, magnus aceruus nascitur. Monet hoc dictum, non nimis festinandum esse in rebus nostris agendis ac locupletandis.

Fidem qui dat, omnia dat. Nihil maius, aut preciosius fide est, quæ cum semel amittitur, nullo precio redimi potest. Ergo qui illam dat, omnia dat, quando reliquum maius, aut preciosius nihil habet.

Procul nubes, propè nebula. Multa eiusmodi sunt, vt procul existentia maiora videantur, quàm si oculis subiiciantur. Sic apud Aesopum, Vulpecula cum leonem nunquam vidisset, ad primum eius conspectum exhorruit, mox vbi propius consuevit illi, etiam adire & alloqui ausa fuit. Hinc vulgò dicere solent: Minuit præsentia famam. Sic & plerunq; Maior est malo timor ipse mali.

Vnum

Vnum est necessarium.

Mente Deo defixus. *Sic supra, Scopus vite
Christus.*

PRECATIONES ALI- quot pro pueris.

ORATIO PVERIS MA-
nè dicenda.

Gratias tibi pater cœlestis ago, quòd præteri-
tam noctem mihi volueris esse prosperã, præ-
corq; vt diem itidẽ hunc totum benè fortunes, ad
tui gloriam, & animæ meæ salutẽ, & vt tu, qui es
vera lux, occasum nesciens, sol æternus omnia vi-
uificãs, alens, exhilarãs, digneris illucescere menti
meæ, ne vsquã impingam in vllum peccatum, sed
ductu tuo perueniam ad vitam æternam, Amen.

ALIA, ANTE INGRESSVM PAE-
dagogij, pueris dicenda.

Iesu Christe, fili Dei vnigenite, Domine miseri-
cordiæ, te suppliciter oro, vt qui puer duodecim
annos natus, sedens in templo docuisti doctores
ipsos: cuiq; pater cœlitus emissa voce dedit autori-
tatem docendi mortaliũ genus, quum diceret: Hic
est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum
est, ipsum audite: quiq; es æterna sapientia sum-
mi patris, illustrare digneris ingenium meum, ad
perdiscendas honestas literas, quibus vtar, ad no-
minis tui gloriam, & animæ meæ salutem, Amen.

L 4 ORA-

ORATIO IN TEMPLO
dicenda.

Gratias ago tibi Iesu Christe, pro ineffabili
charitate, quod genus humanum morte tua
redemisti. Te precor, ut aures & oculos mentis ac
cordis mei digneris aperire, ut eloquia tua sancta
non solum verè & ex amussim percipere queam
& intelligere, sed factis etiam debitis exprimere.
Te suppliciter oro, ne patiaris tuum sanguinem
pro me frustra fusum esse, sed tuo corpore pascas
animum meum, tuo sanguine viuifices spiritum
meum, ut paulatim adolescens ego virtutum au-
ctibus, efficiar idoneum membrum corporis tui
mystici, quod est Ecclesia: ne vnquam deficiam ab
illo sanctissimo tuo foedere, quod in extrema coena
distributo pane, & porrecto poculo pepigisti cum
discipulis tuis electis, & per hos cum omnibus, qui
per baptismum in societatem tuam sunt insiti,
Amen.

ALIA ORATIO.

Misericors ac aeternae Deus, pater Domini ac
liberatoris nostri Iesu Christi, bone, sapi-
ens, ac omnipotens, omnium rerum cum filio
tuo coaeterno, ac sancto Spiritu conditor ac con-
seruator, Miserere nostri, propter Iesum Chri-
stum filium tuum, Dominum ac intercessorem
apud te nostrum, quem voluisti pro nobis esse vi-
ctimam, imò & mediatorem & liberatorem no-
strum.

strum: Rege & accende corda nostra sancto tuo Spiritu, vt te & sanctam voluntatem tuam, patefactam per filij tui concionem, verè agnoscere discamus: Da nobis sanctarum tuarum sedium perpetuam assistricem sapientiam, & mitte spiritum tuum de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, quò nobiscum ille habitet & laboret semper, vt voluntas ac sapientia tua cœlestis nobis nota fiat, & nos Ecclesiæ tuæ sanctæ vtilia membra fieri possimus. Guberna studia ac res nostras, serua parentes, præceptores, ac principes nostros, ac omnes deniq; politias, quæ Ecclesijs tuis hospitia præbent, per Iesum Christum filium tuum, quem tu nos accipere ac audire iussisti, quiq; nobis promisit te preces nostras auditurum, quas in nomine suo ante thronum maiestatis tuæ allaturi nos sumus. Amen.

DE ANGELIS REVE-

rendi viri D. Philip. Melanth.

Sapphicon.

Dicimus grates tibi summe rerum
 Conditor, Gnato tua quòd ministros
 Flammeos finxit manus, angelorum
 Agmina pura.

Qui tuæ lucis radijs vibrantes,
 Te vident latis oculis, tuasq;

L

5

Hauri-

88
Hauriunt voces, sapientiæq;
Fonte fruuntur.

Hos nec ignauum finis esse vulgus,
Nec per ingentes volitare frustra
Aetheris tractus, temerè nec inter
Ludere ventos.

Sed iubes Christo comites adesse,
Et pios coetus hominum tueri,
Qui tuas leges venerantur, atq;
Discere curant.

Impiis ardens odijs & ira,
Nam tuis castris Draco semper inferit
Bella, qui primus scelus atq; mortem
Intulit orbi.

Hic domos, vrbes, tua templa, gentes,
Et tuae legis monumenta tota,
Et bonos mores abolere tentat
Funditus omnes.

Interim sed nos tegit Angelorum,
Quæ ducem Christum sequitur, caterua,
Atq; grassantis reprimit cruenta
Arma Draconis.

Angeli Lothon Sodoma tuentur,
Inter infestos Eliseus hostes,
Angelis cinctus, nihil extimescit
Bellica signa.

Tutus est inter medios Leones
Angelis septus Daniel propheta,

Sic

Sic tegit semper Deus his ministris
Omnia nostra.

Hoc tuum munus celebramus vnâ,
Et tibi noster chorus, Angeliq̃,
Gratias dicunt simul accincentes,
Conditor alme.

Et tuo templo vigiles vt addas
Angelos semper, populoq̃, Gnati
Qui tui verbum colit, obsecramus
Pectore toto.

EIVSDEM AD PVEROS DE
studio literarũ $\omega\alpha\rho\alpha\acute{\iota}\nu\epsilon\sigma\iota\varsigma$, ex dicto Chri-
sti: Sinite pueros venire ad me, Talium
enim est regnum cœlorum,
Matth. 18.

Vos ad se pueri primis inuitat ab annis,
Atq̃, sua CHRISTVS voce venire iubet.

Premiaq̃, ostendit vobis venientibus ampla:
Sic vos, ô pueri, curat, amatq̃, Deus.

Vos igitur lati properate occurrere CHRISTO,
Prima sit hac Christum, noscere cura, ducem.
Sed tamen vt Dominũ possis cognoscere Christũ,
Ingenuas artes discito, parue puer.

Hoc illi gratum officium est, hoc gaudet honore,
Infantum fieri notior ore cupit.

Quare nobiscum studium ad commune venite,
Ad Christũ monstrat nam Schola nostra viã.

ALIA

ALIA DE LEGIBVS

Scholasticis $\omega\alpha\rho\alpha\acute{\iota}\nu\epsilon\sigma\iota\varsigma$.

Legibus & regitur tellus, & pontus, & aether:
Et peragit certis legibus annus iter:
Regna, domus, iustis celsæ stant legibus vrbes,
Quid vetat astrictas legibus esse scholas?
In nostrum qui das ergo tua nomina ludum,
Egregiæq; cales laudis amore puer:
Exornet castos fac sancta professio mores,
Artibus & bona sit consona vita bonis.
Ne quas immeritò nostri fera temporis atas
Contemptas nullo prorsus honore colit:
Inuidia doctas oneres maiore sorores,
Ardua Parnasi que iuga montis amant.
Quod facere vt possis, primùm prece numẽ adora,
Quid deceat, nemo, quo nisi dante, videt.
Tum serua scriptas quas conspicias ordine leges,
Queis mores studijs conuenienter eant.
Nam quisquis pulchræ laudis succensus amore,
Proluere Aonijs fontibus ora cupit,
Ornatus cultu virtutum diuite pectus,
Exemplum pueri debet & esse boni.

LEGES

LEGES SCHOLASTI-

cæ, Iambicis trimetris, per Sebal-
dum Heyden conscriptæ.

VOS, qui venitis huc honestis moribus,
Et artibus honestis studendi gratia:

Vestræ voluntate agite, quod bonos decet,
Ut non opus sit esse verberonibus.

Nam quisquis hoc in animum sic induxerit,
Huic omne studium cedit ex sententia,

Operæq; fructum demeret pulcherrimum:

Ignauus autem ad hoc, quod nil lucri feret,

Virgis simul cæsim operietur asperis.

Suum Magistrum digno honore non colens. 1.

Eiusve pædotribis non obtemperans. 2.

Ad lectiones tardiùs se conferens. 3.

Silentium non ore clauso continens. 4.

Sub prælegendo hoc non, sed aliud cogitans. 5.

Ab ore declamantis aliò diuagans. 6.

In lectione, quæ iubentur, non notans. 7.

Prælectionem pridianam non tenens. 8.

Demensa, quæ ediscenda fuerant, posthabens. 9.

Germana, non Latina cuiquam colloquens. 10.

Non quotidie Latinum autographum exhibens. 11.

Quicquam, quod ad discendū nihil facit, mouens. 12.

Alijs studendi occasionem subtrahens. 13.

Solutior subsellijs inambulans. 14.

Horsum vel illorsum cum strepitu cursitans. 15.

Inter


16. *Inter sodales inimicitias seminans.*
17. *Peccantibus subaudiendo assentiens.*
18. *Alieno scelere dissimulator conuiuens.*
19. *Inordinatè se sacris templi inferens.*
20. *Se in re sacra facienda incompositè gerens.*
21. *Inter sacra oscitanter alijs concinens.*
22. *Mente incomposita conciones audiens.*
23. *A lectionibus, siue sacris emanens.*
24. *Quòquam insalutatis praesidibus exiens.*
25. *Per publicam viam indecenter ambulans.*
26. *Magnatibus obuijs honorem non ferens.*
27. *Parentibus suis domi non obsequens.*
28. *Docta in Schola domi suæ non ruminans.*
29. *Corporis & vestium mundiciem negligens.*
30. *In summa: Quicquam quod parū decet patrans.*
Pœnas dabit, conciso ferula podice.

F I N I S.

Collector libelli ad candidum
Lectorem.

Alta petant alijs, feriant vt vertice cœlum:
Hic mihi sit pueris consuluisse satis.





151780

AB 151780

ULB Halle

3

004 310 195



Almanach nach der

Jesu Christi 1585. Jar /

fassung der Welt 5547. Jar. Nach

des hochlöblichen Röm. Kay. Rudolphi II.

In welchem ist die Guldene zal. 9 Son-

Sontags Buchstab C. Römer Zinßaal

Weyhenachten vnd der Herrn Fohnacht 8.

ii. Oftern den iii. tag Aprilis. Zu Ehren

glückseligem Newen Jar gestellt.

Ehrnvesten / Fürsichtigen Erbaru

ten Herrn Stelmestern vnd Rath der

Statt Schwebischen Hall.

Vincklerum Forchemium Medicinæ

verordneten Physicum vnd Astrono-

der Statt Schwebischen Hall.

Der Character dieses Almanachs.

Wegwelt gut lasen † | Arzney brauchen *

Witzelmessig lassen † | Kinder entwenen †

Schepffen baden. † | Stund vormittag. †

Wern vnd Pflanzen † | Stund nachmittag †

Die Zwölff Zeichen.

Wanenfugung ♂ | Wider ♃ | Scorpion ♏

Wenschein ♀ | Stier ♉ | Schütz ♐

Witerschein * | Zwillina II | Greinbock ♑





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

LIBELLVS
E CIVILI
E MORVM PVERILI

f. Erasmi Roterodami, ad vsum
utilitatem Iuuentutis con-
scriptus.

CEPTA HONESTATIS AC
PVERILIS, IOACHIMI CARNETARIJ.
nia, vnà cum Admonitorio Isocratis,
inctas Quæstiones digesta, Autore
Reinardo Hadamario.

VS NOVISSIME DOCTIS-
annis Sulpicii Verulani carmen, de
e morum, libellum Erasmi breui-
nasi perstringens, adiecimus.

eterea huic inserta sunt Libello,
versa pagella indicabit.



LXXIX.

Ex libris
Johannis Justi
Gravii
anno 1693
constat

COF. AD MOENVM.